



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Mil. g.

381

2

171 — DE RE MILITARI ROMANORUM LIBER. (ED. BY G. HORNIUS). LUGD. BAT.,
JOH. ELSEVIRIUS, 1657. 4TO. CALF (SL. WORN). 55.—

Spaulding-Karpinski 155; Willems 808. — In 1634 Salmasius had already begun his treatise on Roman encampment and battle-order, at the request of Prince Frederik Hendrik. After numerous difficulties in finding a printer and nearly infinite troubles and controversies that kept him from finishing the work, the book was posthumously printed.

The publisher dedicated the work to J. A. de Thou.

Mil.g. 381e

<36627977560019

<36627977560019

Bayer. Staatsbibliothek

C L S A L M A S I I
D E
R E M I L I T A R I
R O M A N O R V M
L I B E R.

Opus Posthumum.



LVGD. BATAVORVM,
Apud JOHANNEM ELSEVIRIVM,
Academ. Typograph.
CIC LVII



1661/53/2745

STATUTIM FL

MYEOMALCO

1111

1111



1111 1111 1111
1111 1111 1111
1111 1111 1111
1111 1111 1111



GEORGIUS HORNIUS
LECTORI BENEVOLO
SALVTEM.



E Militia Veterum commentari, non est nisi ejus, qui omnium seculorum, & gentium mores ritusque in numerato habet. Quemadmodum enim aliae omnes res in perpetuo sunt motu & frequenter mutantur, siue in melius siue in deterius: ita quoque non iisdem semper armis neque acie aliisque ad Taxilum spectantibus populi utuntur: sed habet suas etiam militia, non secus ac Respublica, mutationes & periodos. Quod quidem imprimis in Romana militia, tanquam omnium nobilissima, observavit Cl. Salmasius, cujus tibi his exhibemus ἀποσπασμα, magni operis, à quo absolvendo variis hinc inde ingruentibus impeditus difficultatibus, tandem etiam morte abruptum nobis imperfectumque reliquit. Sed ne sic quidem ingratum lectori fore dubitavimus, praesertim cum hinc inde errores aliorum, qui de Militia scripserunt, ostendat, viamque aliis praebeat, qua rectius & perscrutatus in Militia antiquorum eruenda versarentur. Quod qui facere velit, illum animo concipere non Romanos modo, verum alias omnes nationes bellicosas oportet, & distinguere initio illa quae communia omni militiae, non antiquae modo

P R Æ F A T I O.

da, verum & recentiori fuerunt, mansuraque sunt, donec bella erunt inter gentes. Qualia quidem sunt gladii & tela, quibus duobus armis cominus pariter atque eminus pugnabant. Ac de gladiis quidem, antiquissimo & communissimo armorum genere, dubitari non potest. Nam si quis regerat, Americanos aliosque barbaros, superiore & nostro ævo detectos populos ignorasse gladios, & non nisi clavis ligneis, vel ex alia materia pugnasse: Ille facile redargui potest ex scriptoribus rerum Americanarum qui Mexicanis adscribunt gladios ex acuto silice, eosque à clavis & sarissis distinguunt. Tela erant quidquid missile. Ita demum à communi militia ad particularem deveniendum, & quandoquidem Asia primum exculta fuit, ac bella finitimis intulit, ab ea initium faciendum. Constans inter Historicos opinio est primum Ninum Assyriorum Regem bella finitimis intulisse, & rudes adhuc ad resistendum populos terminos usque Libycos perdomuisse. Primus itaque militiae artificialis repertor Ninus, qui exercitum & armis præclare instructum & ordine digestum in alias nationes eduxit, easque facile perdomuit quod rudes adhuc ad resistendum essent. Id quod Hispanis quoque in America accidit, qui non alia ratione quam quod militiam haberent omni arte instructam, innumerabiles barbarorum exercitus profligarunt. Ab Assyriis promanavit illud gladii genus acinaces, quo hodieque per tot secula, constanter universa Asia utitur. Cæsim enim non punctim pugnabant, quippe quorum militia omnis fere erat equestris. De Israëlitis dubito, quippe qui ab Ægyptiis profecti, eorum militiam videntur esse secuti & antiquis temporibus raro equitatu, quod montana ferè colerent, utebantur. Unde ipsorum armus videtur fuisse non incurvus acinaces, sed gladius.

P R Æ F A T I O.

dinus rectius, quo punctum & casum, sicut Europæi, uti poterant. Id quod etiam Arabicum خرب comprobatur, cuius significatio est: fissus & perforatus fuit, & in specie aurem perforatam habuit, qualis perforatio framea fieri solet. Philistæorum arma in Goliatho universa occurrunt, cui adscribitur galea, lorica, ocreæ, clypeus ex ære, hasta & gladius ex ferro. Ita universæ Asiæ armatura foret examinanda per populos nationesque bello celebres, imprimis vero illas, quæ ad Monarchiam adspirarunt, quales erant Assyrii, Chaldaei, Babylonii, Medi, Persæ, Parthi, Arabes, Sinenses, Indi, Japonii. Nam quis dubitet, quin Nebucadnezar & Cyrus, tanti bellatores, multum antiquæ per Asiam militiæ addiderint, cum idem fecisse Scipiones, Syllam & Marium, Cæsarem & Pompeium aliosque constet. Sic nostra memoria Gustavus Adolphus Suecorum Rex multa in militia correxit. Sic Mauritius Nassovius universæ Architecturæ militaris non tam instaurator quam author perhibetur. Pari ratione examinanda militia Africanorum, maxime Egyptiorum & Æthiopum, qui duo populi longinquas expeditiones susceperunt sub Sesostri sive Sesako & Tirhaka sive Tearcone. Eorum proprii erant currus ferrati, quod ex submersione exercitus Pharaonis in mari rubro patet. Ab Ægyptiis Chananæi & vicini populi acceperunt. Horumdem fuit ῥώεξ, qua voce designatur non solida ex ferro armatura, sed lorica: quod exinde patet, quia Persæ utebantur in bello thorace Ægyptio, teste Herodoto lib. 1. ubi inquit: φορέσαι ἔχουσιν τὰς μάχης τὰς Αἰγυπτίους ῥώεας. At vero Persarum atque inde Parthorum equitum propria fuit lorica, quod ex Historicis notissimum est. Talis thorax etiam Goliati fuit. Æthiopes utebantur τέλεπαίχισι ξυλίνις πινευαμπύλοις, arcubus quadricubitalibus ligneis.

P R Æ F A T I O.

lignis præstis. Ita Strabo ex Herodoto, qui insuper addit arcus eos fuisse ex Φοινίκας ἀράδες palmarum spathis & alia insuper eorum arma enumerat, prælongas ex arundine sagittas pro ferro præfixas ex lapide acuminato quo sculpunt sigilla: præterea hastas caprea cornu præfixas & clavas præferratas. Multa passim in Prophetis occurrunt ad hanc Africanam & Asiaticam militiam spectantia, ita quidem ut scriptoribus talium militiarum non possit deesse ampla & copiosa materia. Etiam hoc ab Ægyptiis fluxit quod galeas animalium imaginibus insculptas ferebant in prælio eorum duces, quod erat imperii signum teste Eusebio lib. II. περὶ πνεύματος. Talia etiam erant vexilla. Nec alius Israelitis mos qui qualia habuerint vexilla cum Chananeam expugnarent Drusus in Num. Cap. 6. ostendit. De hac Asiaticorum & Africanorum armatura insigniter Herodotus in Polymnia agit ex quo vel solo iustus commentarius antiquissimæ illarum gentium militiæ adornari posset, si qui ingenio abundant, iis tantum otii superesset. Nobis hoc in transcurso indicasse sufficit. Jam vero quanta militiæ copia per Europam occurrit: veterum Græcorum qualis erat Trojano bello ex Homero magnam partem peti potest, qui etiam subinde commemorat illorum populorum militarem habitum qui ad Troiam confluxerunt. Multa inde mutata, maxime sub Philippo Macedoniae Rege & Alexandro Magno, à quibus militia Græca summum quasi fastigium obtinuit, instituta phalange Macedonica quæ erat robur illius militiæ, non secus ac apud Romanos legiones & triarii. Multa etiam Pyrrho debentur quoad aciem instruendam, in qua arte primas ei tribuit Annibal: Multa Demetrio Poliorceti summo architecturæ militaris Magistro, cujus inventum fuit ingens illa machina dicta ἐλέπας cujus quanta fuerit moles apud Plutarchum extat, nec non de ejus

tho-

P R Æ F A T I O.

thoracibus ferreis duobus quorum uterque pondo fuerunt quadragenum, tanta firmitatis, ut ne telo quidem catapulta adactò laderentur. Et unum quidem ex his thoracibus ipse Demetrius, alterum Alcimus Epirota gestavit. Ut jam non videri debeat mirum quod sacra litera de Goliatho tradunt, gestasse cum arma tanti ponderis. Post hos declinavit militia Græcorum una cum imperio & emerferunt Romani, quibus tamen Karthaginenses initio certamen moverunt utra gens peritæ armorum prevale-
ret, quorum dux Annibal haud dubie Africanam militiam in plu-
rimis emendavit & à quo Romani multis cladibus educti multa didicerunt, quæ ad rem militarem spectarent. Atque in hac mi-
litia illustranda imprimis sese exercuerunt eruditi superiori &
nostro seculo, inter quos primas obtinet Iustus Lipsius. Quod si
Salmasio per alia negotia licuisset huic curæ insolidum incumbere,
haberemus proculdubio argumentum illud plene & copiose per-
tractatum. Nunc quis partes ejus suscepturus sit, posteri vide-
bunt. Neque vero in Romana militia subsistendum est, cujus
inclinatio facta post translationem Imperii Constantinopoli. Tum
enim barbari qui vocantur, id est Gothi, Hunni, Vandali, Fran-
ci, Saxones, Longobardi & innumera aliæ nationes & in Imperii
Romani & militiæ possessionem venerunt, suæque arma, quæ præ-
valida erant, Romanis artibus temperarunt. Latus hic dicendi
campus sese pandit per sequentium seculorum memoriam, quibus
sepe imprimis Europæi & Saraceni exercuerunt. Actantum tum
armorum studium fuit, ut integræ nationes inde denominari
voluerint, non secus ac hastatos, doryphoros, sagittarios appella-
mus ab armis, quibus utuntur. Ita Franci, Saxones, Longobardi,
armorum suorum nomina induerunt, ut ne alios nunc nominem.
Hæc militia multum illustrata fuit novis machinis eo tempore,
quo

P R Æ F A T I O.

quo Occidentales in Orientem pro recuperanda Terra sancta frequentes expeditiones susceperunt. Atque huc pertinet machina illa, qua usi Harlemenses & Franci in expugnanda Damietta de qua & ex nostrorum & Arabum Commentariis multa dici possent vulgo non adeo nota. Quanta inde ab A.Ch. CIO CCC LXXX. repertis illis machinis, quæ bombarda vocantur, in militia secuta fuerit mutatio, notum est. Nam ut bene Verulamius: Tria hæc, ars Typographica, pulvis tormentarius, & acus nautica rerum faciem & statum in Orbe terrarum mutarunt: primum in re literaria, secundum in re bellica & tertium in re navali.

CL. SAL-



ILLVSTRISSIMO VIRO,
DOMINO

JACOBO AUGUSTO
THUANO, I. A. F.

IN SENATV PARISIENSI PRÆSI-
DI INTEGERRIMO, COMITI DE
MESLAY, CHRISTIANISSIMI
GALLIARVM REGIS A CONSI-
LIIS ET AD PRÆPOTENTES
BELGII FEDERATI ORDINES
LEGATO.



ILLVSTRISSIME DOMINE,

Et THUANEÆ erga Salmafium
familiæ singularis propensio, &
†
Tua

Tua in nos , Legate Illustrissime , ingentia merita , & ipsius argumenti , in quo cum reconditâ eruditione certat publica utilitas , id mihi imperarunt , ut sub Tuo splendidissimo Nomine lucem aspiceret , Tibi non ignotum , & ex Vestrâ ac Puteanorum Bibliothecâ , cùm in Galliis versaretur Author , posteritati consecratum de MILITIA ROMANA , tamdiu desideratum Opus . Ut quantum ab ipso habiturum est Authore pretii , tantum à Tuo , Regis Christianissimi magno Legato , nomine , accipiat authoritatis ; ac illi , quibus id in manus venerit , (orbi autem erudito toti veniet ,) intel-

telligant , neque mihi erga Te,
ob tot beneficia , quæ recen-
sere opus non est , cū & ego
quotidie recolam , & Tu ad-
dendo indies augeas, non dees-
se memoriam, neque Tibi plu-
res demerendi, in tantâ, ob in-
structissimam Bibliothecam ,
quam THUANEAM vocare am-
plius religio sit , cū omnibus
pateat , qui studiorum pretia
æstimare noverunt, publicum
Literarum bonum promovendi
copiâ, cum facultate volunta-
tem. Scio , illustrissimæ Legatæ,
juxta alios mecumque optares,
si in hisce vota nostra locum ha-
berent , videre opus vastum de
MILITIA ROMANA, quod Au-

thor moliebatur ; ad quod omnibus numeris absolvendum, ipsi non defuit tempus, abundabat rerum copiâ : interveni-
runt autem impedimenta, quæ Epictetus fecernit à consilio & libertate humana ; quicquid autem moli deest, compensat rerum tractatarum magnitudo. Tua, Vir Illustrissime, gravissimarum occupationum tempora, mihi brevitatem imponunt, ut plura Nominis Tui reverentia addere non auserim, nisi unicum hoc, me esse

Illustrissima Excellentia Tua

ad omnia servitia paratissimum,

JOHANNEM ELSEVIRIUM.

GEOR-



C L S A L M A S I I

D E

RE MILITARI
ROMANORVM
LIBER.

C A P. I.

*De Mutatione artis militaris apud Romanos , Et quod sæpe
Variaverit multis argumentis probatum.*

IN Explicanda Re Militari Romanorum qui utilem & efficacem ponere operam cupit , curare studio intentiore debet ut videas non quid distet ab hodierna populis Europæis usitata, sed in primis quærere illum oportet an & à semetipsa aliquando discrepaverit , id est an Romana ipsa à Romana diversa fuerit & pro temporibus variaverit. Quod enim in reliquis moribus & institutis Gentium usu frequentius venit ut subinde mutantur, hoc etiam in militari disciplina contingere posse verisimile est, in Romana autem gente eam in varias incidisse mutationes pliusquam verum est. Cum plures fuerint, maxime notabilem eam fuisse non observatum miror quæ circa ultima reipublicæ tempora quando ejus libertatem Marius & Sylla intestino bello vexabant , differentiam talem Militiæ peperit qualem inter primi Scipionis Africani & Julii Cæsaris ætatem extitisse videmus. Nisi autem in confesso sit aliam fuisse militandi artem qua Cæsar & Pom-

A

Pompejus uſi ſunt, ab ea quam Scipiones uſurparunt, omnia in confuſo erunt quæcunque ad hujus argumenti illuſtrationem afferri poſſent. Ecquid aliud fraudi fuit viris doctiſſimis, Italis, Gallis, Belgis, Hiſpanis qui hætenus ea de re aliquid commentati ſunt, ne id quod tanta cura explicare & illuſtrare conati ſunt, ad optatum finem perducerent, quam quod hoc minime animadverſerunt, cujus indagationi præcipuam operam dicare debuerant? Dum enim ad illam militaris artis Romanæ formam, quæ diligentiffime à Polybio pertractata atque tradita eſt, omnis ævi ſequentis militiam revocant, in eas ſeſe detruderunt difficultates, quas nemo unquam evolverit, aut expedierit, niſi eam viam inſiſtat, atque eam rationem ineat, quam hoc libro monſtrare conſtitui. Ut in omnibus quæ initia ſua habent auctuſque ac deceſſus, finis non eſt ſimilis principio nec media utrique paria ſunt, idem & in re militari Romanorum eveniſſe certum eſt. Non eadem eſt infantia cum virili ætate, nec hæc cum decrepita. Idque magis obſervare eſt in illis quæ crescendo & decreſcendo in tantum à ſua natura ac forma recedunt, ut alia proriſus fiant quam quæ ab initio fuerant. Militia Romana cum ipſa Republica ita crevit ac decrevit, ut etiam cum ea proriſus immutata ſit. Incrementa accepit & decrementa paſſa eſt, ac tandem haud minus quam Reſpublica quæ per ipſam ſteterat, peſſumdata eſt, ſed tamen prius quam ipſa. Nam exitium imperii Romani maxima ex parte imputari debet diſciplinæ militaris lapſui. Ubi hic contigit, tum & illud undique irruentibus barbaris paruit conculcandum, cum non eſſent amplius qui objicerentur gentium inundationi, fortes, fideles, exercitati & bellicoſi cum ducibus milites. Qua de re alias erit dicendum. Conſtat igitur militandi artem aliam fuiſſe Romanis, cum ipſorum Reſ primum per reges fundata eſt, alia cum in flore ætatis vigente fuit libertate, alia cum Cæſares & Auguſti in ea imperarunt, alia poſtremo ſub Conſtantini ſucceſſoribus ubi translata Conſtantinopolim parte imperii, militia à peditibus ad equites tranſducta eſt. Quod enim cum nationibus quæ equitatu tantum valebant, quo & abundabant, quotidie rem haberent illius temporis novi Romani, nullaque amplius in legionario milite, deperdito in totum priſtinæ diſciplinæ vigore, roboris eſſet fiducia, equeſtrem ſolam

solam militiam colere & exercere cœperunt, deserta pedestri, cujus usus vix aliquis erat contra innumerabiles, Alanorum, Gotthorum, Vandalorum, Persarum, Saracenorum & Sarmatarum in equis pugnantes copias. Per ea tempora qui de militari arte quæ *maximè* spectat aliquid commentati sunt Græculi, cum omnia ab antiquis sumerent, rem suæ ætatis, quia militia commutata erat, exposuerunt verbis antiquioris militiæ propriis. Quod de peditibus illi dixerant, isti de equitibus hæc eadem in litteras miserunt. Et quod magis est mirandum, nomina quibus pedites prisca Græcis & Romanis appellabantur, ad equites sui temporis designandos traduxerunt. Hinc *εὐκλιῶν* Græcis illis novitiis, & Constantinopolitanis proprie de equite, quod antea sumebatur de peditē. Sed & Romanis ejusdem ævi, *Miles* non amplius de equi pedes in bello mereret, sed propria notione de equite accipi cœptus est. In Symphosiani ænigmatis titulo, *miles podager* dicit se olim sex pedes habuisse, jam vix duos habere. Sex nimirum eques ille qui *miles* ibi dicitur, cum pedibus valeret, sibi pedes fuisse jactat, quaternos equi quo vehebat, cum propriis binis. Et inde percrebuit, ut inter titulos nobilitatis qui *Militis* elogio donatur tam in publicis Curiarum monumentis & archivis quam in domesticis familiarum illustrium instrumentis ac tumulis eques intelligatur, equestri utpote dignitate pollens, vel stirpe oriundus equestri. Vetus quoque versio Vegetii Gallici inscriptionem operis quæ est *de Re Militari*, reddidit vernacule, de arte Equestri, *de l'art de Chevalerie*. Verum de eo militiæ genere, quod sub Constantinii successoribus in imperio Constantinopolitano obtinuit, nunc aliquid commentari propositum non est, quod alibi exequi constitui. Hoc tempore & in hoc scripto id perficere tantum decrevi, ut ostendam etiam in confinio liberæ Reipub. Romanæ, & jam jam in unius potestatem redigendæ duo extitisse rei militaris genera planè diversa. Nec repetam antiquius ævum quod sub Regibus fuit. Servio quippe regnante pro facultatibus quas in censum deferebant cives Romani, tam in Classē mitti quam in aciem, priores aut posteriores solebant, hoc est in prima acie vel in postrema pugnabant. Ditiores qui erant & Classis primæ, in fronte prima pugnam inibant, ultimæ classis pauperes in postremum pugnæ locum rejiciebantur. Sed & diverso armorum genere

inopes & bene nummatus uti mos fuit. Hoc postea mutatum, & institutum, ut discrimine ab ætate in militibus facto, primo loco prælium capefferent, acie instructa, qui juniores essent: in media acie ævo provectiores, veterani aut castrorum custodiæ præficerentur, aut subsidiis reservarentur, & ultimi ad pugnandum confurgerent, si prioribus res male cessisset. Hæc magna præliandi diversitas ab ea quæ sub Servio Rege in usu. Sed nec ista semper tenuit. In contrariam etiam formam postmodum transiit, qua invaluit, ut veterani & gravioris armaturæ milites in prima acie collocarentur, juniores & minus exercitati, leviusque armati in ultima ponerentur. Quid tam diversum? Longum censes tempus intercessisse hunc morem inter & illum priorem? Quantum temporis intervallum patuit, à Scipionibus ad Cæsarem & Pompejum. Spatium illud haud mains fuit quam centum & quinquaginta plus minus annorum. Medio illo tempore accidisse oportet eam militiæ commutationem. A quo facta sit non liquere dicerem, nisi certo scirem à Mario profectam quem constat plurima innovasse in re Militari. Qua de re mox latius in majori opere. A quocunque processerit ista mutatio, certum illud est, aliam fuisse sub Scipione Romanam militiam, de qua tractatum peculiarem Historiæ suæ inseruit Polybius, aliam sub Cæsare qui Rempublicam liberam armis oppressit. Atque hîc maximus ac præcipuus error cernitur eorum qui de ea Militia Commentationes ediderunt. Unius generis ac formæ eam faciunt quæ à Polybio descripta est, & eam qua sub Cæsarum imperio bella à Romanis gesta sunt. Atqui utriusque militiæ & Polybianæ & Cæsarianæ longe plures & majores differentię notari possunt, quam illa sunt quæ Romanam inter & Macedonicam intercessere discrimina. Ne de recentioribus mireris tam graviter eos peccare potuisse, in eadem culpa etiam versari plerosque veterum invenio. Et hîc etiam parvam mihi habes fidem? Jam faxo, ut quod dico verum esse, haud abnuas. Vegetium vides? Auctor est qui dum de Re Militari veterum pertractat, nihil habet sui sed omnia ab aliis, quos compilavit. Non unius generis nec ætatis scriptores transcripsit, quos & nominavit. Catonem illum Censorium, Celsum, & Frontinum. Cum neutra militia illius ævo jam usitata esset, tam quæ Catonis temporibus, quam quæ Cornelii Celsi vel Frontini ætate florebat, sic ex utraque cinnum fecit,

fecit, qui utramque ignoravit. Inde est quod *Principes* anteponit *Hastatis*, quia nominis veriloquium eo ducebat. Qui enim *Principes* in bello, nisi qui *Principes* id est primi pugnant? Non ita tamen fuit Catonis & Scipionis sæculo, sed *Principes* ii dicebantur qui in secunda acie pugnant, post *Hastatos*, *Principes* ab ætate appellati non à pugnandi ordine, quia flore ac vigore ætatis virilis *Principes* essent, inter *Hastatos* juniores, & *Triarios* veteranos medii. Sed fortasse nec hic Vegetii error censendus, cum eorum sit à quibus accepit, Cornelii nempe Celsi, vel Frontini. Hi abolitam ætate sua militiam veterem dum non satis attendunt, imprudenter notione nominis ducti *Principes* ante *Hastatos* posuere. Tantòque citius in hunc errorem inciderunt, quod illa ætate quâ scripserunt, & *Principia* dicebantur, & *principales milites* qui in prima acie pugnam capelebant. Nec magis porro mirum de Cello & Frontino istice eos errare potuisse quam de Livio qui aliquot locis in commemorandis præliis ex more & ordinatione antiqua factis, *Principes* prius nominavit quam *Hastatos*. Quod erratum esse librariorum Criticis placet non item mihi, qui sciam majora peccasse celeberrimum illum scriptorem in Re Militari Romana. Præterea *Principes*, ut *Antesignani*, etiam dicebantur ætate Cæsaris levis armaturæ pedites, sive velites qui *Principe* loco, & ante signa prælium committebant. Horum meminit scriptor Belli Hispaniensis. Hujus generis *Principes* quia cogitabant auctores supra memorati, confudisse eos videntur cum *Principibus* prisce Militiæ qui in secundo ordine post *Hastatos* pugnant. Cæterum priusquam rationibus evincamus diversam fuisse militandi artem qua usi sunt Romani sub Cæsarum imperio ab ea quam frequentarunt stante sub Scipionibus libera Republica, id etiam probandum testimoniis. Unus erit Varro pro centum testibus. Is in libro iv. de Lingua Latina, ubi explicat illa vocabula antiquæ militiæ, *Hastatos*, *Principes* & *Triarios*, diserte significat desita esse & à more qui tunc obtinebat aliena. *Hastati*, inquit, dicti quod primi pugnant hastis. Pugnant; dixit, non pugnant. In vetere nempe militia, mos fuit primos eos, id est in prima acie hastis pugnare, & inde *Hastatis* nomen. Qui aliter legunt in Varrone, & interpretantur, frustra sunt. Ergo in illa Militia quæ Varronis ætate frequentabatur, nulli amplius *Hastatis*,

stati, sed nec Principes. Sic enim eos appellatos ibidem notat, qui à principio gladiis pugnabant, & post commutata re militari minus illustres sumuntur. Vide, rem commutatam militarem. Alia igitur tum fuit cum illa scriberet, alia olim. Ideo à principio, id est — olim & in antiqua militia, *Principes* gladiis ait pugnasse. Sic Tacitus scribit, *Reges à principio Romam habuisse.* Sed quid est, quod ait *Principes* olim pugnasse gladiis? Hoc nimirum, in stataria pugna locum eos habuisse, & legionarios fuisse milites qui pede collato cum hostibus congredierentur, gladiis rem gerentes. Quod proprium statariæ pugnae fuit, & gravis armaturæ. Velites enim & levis armaturæ è longinquo jaculantur, non *ad manus veniunt*, ut tum etiam loquebantur: nec cominus pugnabant, sed eminus, ideo gladiis rem non gerebant. Addit Varro: *Et post, commutata militia minus illustres sumuntur.* De sua ætate loquitur. Nunc, inquit, sumuntur minus illustres quibus id nomen. Illustriores & honestioris ordinis semper habiti sunt in Militia Romana, qui manus conferebant cum hoste, collato pede, ut erant legionarii, scutis armati, pilis & gladiis pugnantes. In his olim fuere & *Principes* inter illustres qui legionariæ militiæ nomen dabant. Ætate Varronis commutata rei Militaris forma qui hoc nomine appellabantur, minus illustres habebantur. Quid ita? Quia sic tum vocati — qui primi pugnabant, & ante signa, leves nempe armaturæ & Velites. Quos etiam ab ea re *Antesignanos* Varronis sæculum appellabat. At olim *Antesignanos* dici mos erat tam *Hastatos* quam *Principes*, quia ante signa pugnabant. Signa enim eo ævo, & posteriore, propria *Triariorum* qui in postrema acie depugnare solebant. Ubi ratio immutata est, & *Triarii* in primam aciem subducti cum signis & Aquilis legionis, tum Velites qui ante signa pugnam capeſſebant, & antequam legionarii signa in hostem inferrent, *Antesignani* appellati, sed & *Principes* quia primi prælium committebant. Nam *princeps* Latinis, idem quod primus. Eo sensu *Principes* apud auctorem de Bello Africano, in prælio extremo describendo quo Cæsar cum Scipione conflixit: *Quod postquam Cæsar intellexit incitatis militum animis resisti nullo modo posse, signo Felicitatis dato, equo admissso contra Principes ire contendit.* Sic vocat, quæ in prima acie collocatæ erant Scipionis, leves armaturas, equitibus Mauris interjectas, & quæ cum elephantis, vel post ipsos. Ita

Ita enim & priorem aciem disposuerat, elephantis dextro sinistroque cornu collocatis, & post elephantos armaturis levibus Numidisque auxiliaribus substitutis. Hos *Principes* exercitus Scipionis, cum Mauris equitibus, & elephantis fuisse, ex sequentibus apparet, Ita enim scribitur, *Item Mauri equites qui in eodem cornu, nempe dextro, cum elephantis erant, praesidio deserti, & principes fugiunt.* Illud certe constat ex Varronis verbis superius allatis, qui *Principes* vocabantur in Militia Romana illius temporis minus illustres sumptos, quam qui in priore Militia sic dicti, gladiis pugnabant. Isti enim antiqui *Principes* legionarii milites fuere, illi Varroniani saeculi, levibus armaturis adnumerandi, ideo sic appellati, quod *Principes*, id est primi in hostem irent. Eundem ergo exitum *Antesignanorum & Principum* voces fecerunt. Cum legionarii ita dicerentur in antiqua militia, in posteriore levibus armaturis id nominis adhæsit. Alio sensu *Principia & Principales milites* appellarunt in nova Militia. Sic enim vocabant Tribunos & primorum ordinum centuriones, & alios digniores milites qui etiam in prima acie & ante signa praelium inire soliti erant. *Si magis illustres* in Varrone legeretur, de his *Principiis*, vel *principalibus militibus* intelligendi forent. Verum de his aliâs. Hoc nunc agimus, ut probemus *Hastatos & Principes* legionarios, in nova militia qualis sub Cæsare & Pompejo fuit, locum non habuisse. Idem de *Triariis*, quos ille ipse Varro ita dictos eodem libro ait, quod in acie tertio ordine *extremis subsidio deponebantur*. Hos *Triarios* in tertio ordine pugnantes, & extremis subsidio depositos nusquam agnovit Cæsariana militia. Solebant & subsidiariæ copiae à Cæsare, & aliis tunc temporis imperatoribus in extrema acie substitui, sed nusquam eas *Triariorum* nomine appellatas invenire est. Sed & ipse Varro eo loco ita de iis loquitur ut constet ex ejus verbis non amplius *Triariis* locum fuisse in acie Romana. *Pilani*, inquit, *Triarii quoque dicti quod in acie tertio ordine extremis subsidio deponebantur.* Dixit *deponebantur*, nempe antiquis temporibus, & vetere militia, non in ea quæ tunc obtinebat.

C A P. II.

*De legionis Romana divisione, & aliam fuisse Scipionis ævo,
aliam sub Cæsaribus.*

Rationibus nunc pugnemus, ut ostendamus divisionem legionis quæ in *Cohortes* fiebat subsistere ac cohærere ne utiquam posse cum ea quæ in *Hastatos, Principes, & Triarios* distribuebatur. Hæc antiqua fuit legionis Romanæ Polybii ævo, ab ipso Romulo, ut inter auctores convenit, instituta divisio. Numerus non idem semper constitit, sed quicumque esset in tria corpora dividebatur, ætatis discrimine signata. Pubescens ætas in *Hastatis*, robustior & virilis in *Principibus*, provectior & virtutis usu probata in *Triariis*, qui Veterani milites erant, spectabatur. Sic distincta semper fuit vetus legio in hæc tria corpora, quæ *Cohortes* nullas habuit, nec vero habere potuit, ut legio nova & Cæsariana. Ita enim eam vocamus, quia ut in Scipione veterem quæ à Polybio descripta est, signamus, sic in Cæsare novam, quo diversam utriusque ævi militiam ab horum duorum eminentissimorum imperatorum ætatibus, illustriore nota distinguamus. Sumamus legionem Polybianam. Ea quaternos millenos cum ducentis milites habuit. *Triarii* in his sexcenti fuere. Et hic numerus *Triariorum* semper servatus est, quantumlibet auctior fieret legio. Nam crescente proportionem *Hastatorum & Principum* numero, si legio ampliaretur, nihilominus *Triarii* manebant planè sine augmento. Quod diserte Polybius affirmat: Εἰς δὲ, inquit, πλείους τῶν τετραγυλίων ὄντων, καὶ λόγον ποιῶνται τὴν ἀρίστην, πλεονέχον τῶν τετραγυλίων, τῆς αἰτίας ἰσῆς. Quod si plures quatuor millibus in legione numerentur, similiter pro rata divisionem faciunt, exceptis *Triariis* qui semper numero eodem. Quoties legio divisa est in decem *Cohortes*, æqualis in omnes partes ea partitio facta. Singulæ quippe inter se pares. Verbi gratia legio Polybiana quaternis millibus & ducentis militibus constans, si divideretur in decem partes æquales ut erant decem cohortes, unaquæque earum haberet milites viginti & quadringentos. In tali partitione *Triarii* numero sexcenti nullo modo queunt partem æqualem cum aliis novem constituere. Unam certe *Cohortem* ex his efficere non possis. Sexcenti
ipfi

ipsi sunt, cohors quadringentos & videnos solos habet. Vis duas ex eorum numero *cohortes* componere? Nec hoc dabitur. Duæ quippe *cohortes* in legione quaternorum millium & ducentorum, octingentos & quadraginta dant milites. At *Triarii* in totum sexcenti sunt. Duæ ex his *cohortes*, trecentorum tantum essent militum singulæ, quibus quadringenti competunt, & viginti. Fac legionem esse quinque millium, ut aliquando fuisse certum est. Singulæ ejus *cohortes* erunt quingenariæ. Nec in hac igitur legione quinque millium ex *Triariis* sexcentis una potest *cohors* constare, quæ par cæteris sit. Sexcenaria quippe exiret pro quingenaria, & quingentos pro sexcentis haberet. In ea autem legione quæ ex sex millibus composita esset, locum habere posset. Nam singulæ ejus *cohortes*, sexcentis constarent. Si hoc placeat, non tamen in Polybiana quæ quaternorum millium fuit, hæc divisio potest admitti. Ne in ista quidem quæ sex millium est, si recte calculum ponas. Nam cui cohorti assignabuntur, primæ an ultimæ? *Triarii* sanè in militia vetere, ut pote veterani milites, honestissimi & maximæ dignitatis fuere. Cohors prima in legione talium. Ergo occupare debuerunt *cohortem* primam merito suo. Atqui *cohortes* primæ legionum semper in acie prima collocabantur, & in cornu dextro. At ex veteris militiæ instituto, *Triarii* semper in ultima acie, ad subsidium sepositi. Eorum fuit Primus pilus, vel *Primipilus*, qui *Pisanorum*, sic enim & *Triarii* vocabantur, primus erat centurio, ut *primus Hastatus* dicebatur primus *Hastatorum* centurio, & *primus Princeps* primus centurio *Principum*. At *Primipilus* ille qui olim *Pisanorum* sive *Triariorum* primus centurio in extremo agmine pugnantium, commutata militia in prima cohorte cui & præerat, & à qua initium pugnandi fiebat, pugnare solitus. Alia igitur militia fuit, quæ *Primipilum* in cohorte prima posuit, in prima acie ordinanda, & quæ eundem cum *Triariis* quos ducebat in ultimum ordinem, extremo loco pro subsidio pugnaturum rejiciebat. Alia etiam ratione, legionis in *cohortes* distributio, non potest stare cum ea divisione, quæ legionem in tria genera superscripta partiebatur, *Hastatorum*, *Principum*, & *Triariorum*. Sumatur iterum demonstratio Polybiana. Corpora *Hastatorum*, & *Principum*, in decem partes singula dividebantur. In singulis partibus erant milites centum &

viginti. Hic numerus *manipuli* nomine appellabatur atque *ordinis*. Si quis tentet has partes denas singulorum corporum, & ipsa corpora diducere æquabiliter in portiones quæ cohortibus respondeant, nulla ratione id præstare possit. Unaquæque pars ex tribus legionis Polybianæ, mille ac ducentos milites habuit. Hunc numerum si æqualiter in tres porro partes secare velis, unaquæque quadringentos auferet. Si totidem exire ex eo numero cohortes postules, non constabit ratio. Nam singulæ cohortes in legione quaternorum millium ac ducentorum, quaternos & vicenos milites habere debebunt. Sed fac singulas esse rotundo numero quadringentorum militum, ne sic quidem res rectè procedet. Tres cohortes nempe dabuntur ex numero *Hastatorum*, tres ex corpore *Principum*. Sunt sex cohortes. Ex velitibus etiam tres aliæ cohortes educuntur. Novem jam habemus. Restabit decima ex *Triariis* concinnanda, in qua sexcentos ponemus milites, cum reliquæ cohortes quadringentis tantum constent militibus. Non erit igitur æqualis divisio. Præterea ex velitum numero tres fecimus cohortes. At in antiqua legione, nec in certum ac distinctum corpus redigebantur, nec signa sua quæ sequerentur, habebant: non in manipulos dividebantur proprios, nec ordines in acie instruenda accipiebant. Horum, ut Megarensium, olim, ἐπὶ λόγῳ, ἐπὶ δριβμός. Nec igitur in censu & numero cohortium collocati fuissent. Et tradit Polybius, cum pari numero essent in legione cum *Hastatis* ac *Principibus*, corpus per se atque ordinem numerumve in legione non composuisse, sed prout erat multitudo eorum, in cætera corpora æqualiter distribui solitos. Cum mille ducenti numero forent in Polybiana legione, quadringenti ex his attribuebantur *Hastatorum* corpori, quadringenti *Principum* ordini adscribebantur, & totidem *Triariorum* assignabantur manipulis. Hoc est quod voluit Polybius, cum scripsit de his velitibus: τῶν δὲ χειροφόμαχων ὅτε ὑπὲρ βάλαντας, καὶ τὸ πλῆθος ἴσους ὑπὲρ πάντα τὰ μέρη διένειμαν, καὶ τὸ μὲν μέρος ἑκάστην ἐκάλεσαν, καὶ πύγμα, καὶ σωεῖραν, καὶ σημαίαν. Velites autem pro ratione multitudinis eorum, æqualiter distribuiebant in singulas partes reliquorum generum. Unamquamque vero earum partium ordinem appellabant, ὅς σπῖραν, ὅς manipulum. Quadringenti velites assignabantur corpori *Hastatorum*, per singulos eorum manipulos

pulos æqualiter distribuendi. Idem de *Principibus* & *Triariis*, qui & partem quique suam velut accipiebant, in suos manipulos pariter dispartiri. Sic ex quadringentis velitis qui competeabant corpori *Hastatorum*, *Principum*, *Triariorum*, singuli eorum manipuli, qui denierant in unoquoque corpore, quadragenos sortiti sunt velites. Videnos fuisse leves milites, in unoquoque manipulo legionis tradit Livius lib. VIII. ubi pugnam Roman. cum Latinis describit *Manipulus*, inquit, *videnos leves milites habuit, aliam turbam scutatorum*: Legionem quoque, ubi in decem cohortes dividi cœpta est, suos leves & expeditos milites habuisse, alibi docemus. Et sanè absque his levibus esset; sive levis armaturæ militibus, qui *bastas* tantum & *gasa* gerebant, numerus Polybianæ legionis idem foret cum ejus legionis numero, quæ à Romulo instituta est. Ea ternum millium fuit. Adde leves, sive *χρυσόφομάχες*, ut eos Polybius nominat, mille ducentos, ter mille fuerint reliqui, qui numerus erat Romulæ legionis, similiter & in tres partes *Hastatorum*, *Principum*, & *Triariorum* distributæ. Quod additi sunt ad legionem mille ducenti velites, nihil illi auxerunt legionariorum militum numerum quem parem fuisse certum est in antiqua legione sicut à Romulo fundata est, & in Polybiana. Isti autem leves qui neque signa, neque ordines proprios in legione habebant, neque etiam duces, per reliquorum generum manipulos æquali portione dispartiri ac dispergendi, extra legionem censebantur, ita tamen ut aliquando cum legione sint numerati, sed eo modo quo dixi, sine propriis signis, ordinibus, & ducibus. Pone sexcentos *Pilanos*, sive *Triarios* in legione Romuli, mille ducentos *Principes*, totidem *Hastatos*, habebis eundem numerum germanorum legionariorum, & gravis armaturæ militum, quem Polybius in sui temporis legione agnoscit. Et certè videtur hîc legitimus fuisse numerus legionis Romanæ quamdiu in tria summa genera dispartita est, *Hastatorum*, *Principum* & *Triariorum*. De illo tantum dubitari potest, an legio hoc habuerit Romulæ & prima, ut in tribus ejus corporibus sive generibus æqualis distributio in denas partes fuerit. Hoc est, an par numerus fuerit *Triariorum* in denas partes distributorum, ac *Principum* & *Hastatorum*. Si inæqualis fuit, ut in legione Polybiana videmus, manipuli *Triariorum* sexagenorum tantum militum fuerint, ut in Polybianana: *Hastatorum* ordines & *Principum*, centenorum ac

vicenorum. Sed æquales in tribus generibus partes factas à Romulo in sua legione instituenda suadere videtur, nomen ductoris qui singulis manipulis præfuit. Is *centurio* vocatus est, quod nimirum centuriæ præesset justæ. Appellatio mansit etiam postquam manipuli aucti sunt, ut in Polybianis *Hastatis & Principibus* quorum manipuli centenis & vicenis constabant militibus. *Triariorum* verò manipuli cum solos haberent sexagenos milites, nihilo minus, ordinum eorum ductor, dicebatur *centurio*, ut *centurio Primipili*, qui primum manipulum Pilanorum, qui *Triarii* etiam dicebantur, ducebat. Centuriæ igitur veræ ac justæ fuerunt manipuli illi ex quibus legionem suam composuit Romulus, ac sic *Triariorum* Romuleorum manipuli æquales numero fuere *Hastatorum & Principum* manipulis. Et hæc causa videtur fuisse cur Polybius, cum notaret quibus nominibus apud Romanos appellatæ fuerint partes, in quas divisa sunt *Hastatorum, Principum* ac *Triariorum* in legione corpora, *centuriam* in his appellationibus non nominavit, quia partim majores essent illæ partes centenario numero, ut in *Hastatorum* ac *Principum* manipulis qui centum ac viginti milites habebant: partim minores, ut in *Triariorum* ordinibus in quibus sexageni tantum milites fuere. Tres appellationes, quibus eas partes signatas prodidit, hæc sunt, *πύγμα, πωῖρα, σημάα*. Græca sunt vocabula sed eorum significationes in Latio quærendæ, ut id, quod voluit Polybius, intelligamus. καὶ τὸ μὲν μέρ^Θ, inquit, ἕκαστον ἐκάλεσαν καὶ πύγμα, καὶ πωῖραν, καὶ σημάαν. Quod attinet ad vocabulum *πύγμα*, eo designare voluit, quem Romani *ordinem* appellant. Et sanè ita pars quæque dena ex corpore *Hastatorum, Principum & Triariorum* à Romanis vocata est, quod per eas partes ordinaretur acies, ut inferius docebimus. *σημάαν* vertit Lipsius *signum*. Et sic etiam certe posse reddi non dubito. Sic enim loquuti sunt optimi Latinitatis auctores, ut *unius signi milites* dixerint pro uno manipulo. Sed & *signa* etiam dixerunt pro manipulis ut Sallustius. Ita *signum* & *manipulus* idem pro militum manu quæ unum sequitur signum. Nec aliud intellexit nomine *σημάας*. Polybius. Si repetatur origo hujus vocis ab institutione prima id verum quod dico apparebit. Centuriæ in legione Romuli pro signo manipulum sive fasciculum fœni in pertica suspensum sequebantur.

Pertica suspensos portabat longa maniplos.

Inde

Inde & ipsa centuria *manipulus*, quia sub uno signo quod idemerat cum *manipulo*, ordinabatur. Sed & *manipulus* postea quilibet numerus dictus qui ad unum signum sive vexillum in hostem ibat. Σημείον Græce reddidit Polybius, quia *manipulus* olim pro σημα, vel signo. Tertium nomen restat apud Polybium, αἰῆες. Lipsio vertere libuit *manipulum*. Id non est. Cur enim αἰῆες *manipulus*? Ut idem re ipsa sit, nomine tamen diversa, & alia censetur origine. Posteriores auctores Græci αἰῆες vocarunt, quæ *cohors* in Romana legione, postquam ea in *cohortes* divisa est. In legione Polybiana nullæ cohortes. Et si quando Livius in antiqua Militia, quæ in *Hasstas*, *Principes*, & *Triarios* legionem divisit, meminit *cohortium*, quod sæpe fecit, ad sui ævi morem respicit, prioris oblitus, aut nescius. Sane cum Græci auctoris verba redderet, qui manipulos & ordines *Hasstatorum* vel *Principum*, vel adeo *Triariorum*, αἰῆες vocabat, ipse *cohortes* Latine transtulit, quia id vocabulum Græcis auctoribus tunc temporis usitatum erat, ad cohortes legionum, quibus denis tota legio constabat, designandas. Ennius *spiras* dixit quæ Græcis αἰῆες pro manipulis vel ordinibus legionis sui sæculi:

--- *Spiris legiones nexant.*

Id est, manipulis, vel ordinibus. Quod non facturum fuit, ut opinor, si ejus ævo *cohortis* nomen in eadem re significanda usurpatum foret. Si *cohortes* pro legionis partibus illa ætate cognitæ fuerunt, nihil profecto aliud ea voce significarunt quam id quod Polybius αἰῆες appellatione intellexit, hoc est ordinem vel manipulum centenis & vicenis militibus constantem, vel etiam sexagenis, ut erant manipuli *Triariorum*. Utriusque nominis αἰῆες, & *cohortis* eadem vis ex rotunditate. Nam *spira* convolutio est funium in circulum, *cohors* quoque in ædificiis rusticis rotunda. Hæc autem natura est multitudinis dum catervatim adgregatur ut circulos faciat. Inde *globus*, *orbis*, *adglomerari* & *conglobari*. Inde & *spira*, & *cohortes*, pro turbis conglobatis. Quod ad numeros militares postea transit. Nec porro mirum nomen *cohortis* alium atque alium numerum, pro temporum ratione, in legione Romana designasse. Nam & *manipulus* prius fuit centenorum hominum sub Romulo, postea centum & viginti sequente ævo. Sed & sexaginta milites *manipulum* fecerunt in

Triariorum ordinibus. Postea sub Imperatoribus legione *aucta* & in decem cohortes dispersita, *manipulus* pro tertia parte cujusque cohortis sumi coëptus est, & ducentos habuit milites. Ad denos postremo redactus est, & *manipuli* nomine *δεκαμία* appellata est, quæ uno contubernio tenebatur in castris, & in eodem tabernaculo residebat. Putavit Lipsius sub Hadriano vel Antoninis eam demum notionem manipuli natam esse pro decuria militum eodem tentorio utentium. Ego verò vetustiorē esse ajo. Quid enim aliud voluit Tacitus cum ita scripsit, *Annali primo? Non tentoria manipulis, non fomenta sauciis*. Palam est sensisse manipulis singulis suum fuisse tentorium. Ergo *manipulus*, deni milites. Quamlonge à ducentis qui *manipulum* aliquando constituerunt? Nec credibile est Tacitum aliis locis *manipuli* vocem alio sensu posuisse. Semper igitur apud illum *manipulum* accipiendum constat, de unius contubernii militibus. Uteodem *Annali, Concionem quia permixta videbatur, discedere in manipulos jubet*. Item, *Historiarum I, de prætorii cohortibus, manipulatim colloquuti sunt Licinius, Proculus, & Plotius, Firmus*. Id est, per decurias contubernales collectis militibus. Non magis ergo mirandum de *cohortis* vocabulo, quam de *manipuli* dictione, variasse significationem ejus pro temporibus, atque alium aliumque numerum in legionibus denotasse. Temporibus Scipionum *cohors* trigesima pars fuit legionis, quæ centum ac viginti militibus constabat in numero *Hastatorum & Principum*, sexagenis in corpore *Triariorum*. At sub Cæsaribus legio denas tantum cohortes habuit, interdum quingenarias, interdum sexcenarias, aliquando etiam milliarias, hoc est ex millenis militibus, ut plerumque cohortes primæ fiebant sub Imperatoribus mediæ ævi. De quibus nos plenius alibi. Cum *cohortes* igitur legimus apud auctores qui stante republica Latinè scripserunt, pro manipulis eæ audiendæ sunt, vel ordinibus veteris legionis, qui pedites tantum centum & viginti continebant. *Σπίρας* Græci scriptores, ut Polybius, appellant, & manipulos sive ordines, quales & quantos dixi, intellexerunt. Qui vero Imperatorum ævo vixere, solent & *αρχήρας* appellare cohortes quingenarias & sexcenarias, quales tunc legio Romana numero denas habuit. At non ignoscendo errore lapsus est Livius, qui Polybii Græca Latinè reddendo, non vidit *αρχήραν & σπύριαν* eandem

dem esse, hoc est *cohortem* & *manipulum*, de centenis ac vicenis militibus, quales fuere *Hastatorum* & *Principum* manipuli. Sic enim scribit lib. xxx. de pugna Scipionis contra Hannibalem, ubi & formam aciei ejus describit : *Instruit deinde primos Hastatos, post eos Principes, Triarii postremam aciem clausit. Non confertas autem cohortes ante sua quemque signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes, ut esset spatium, quo elephanti hostium accepti nihil ordines turbarent.* In his verbis planum est eum distinguere *cohortes* à *manipulis*, ἀείρας δὲ τῶν σιμυγῶν. Atqui apud Polybium unde illa hausit, idem ἀείρας, id est cohors; quod σιμύα vel manipulus. Livii ætate acies instrui solebat per confertas cohortes, quæ quingentis hominibus constabant, sine ullis intervallis. Scipionis sæculo etiam per cohortes instruebantur acies, sed eæ cohortes eadem cum manipulis, nec plures quam centenos ac vicenos milites habebant, & manipuli sive ordines aliquantum inter se distantes locabantur, propter eas causas quas infra aperiemus. Polybius in describenda Scipionis contra Hannibalem acie, σιμυγῶν & ἀείρας pro iisdem posuit, quas Livius imperitè distinxit. Verba sic Polybii se habent : ὁ μὲν Πόλις ἐθηκε τὰς πρῶτας τῶν ἰδίων διωάμεων τρόπον τῶν. πρῶτον μὲν σὺν ἀσπίτας καὶ τὰς τέτων σιμυγῶν ἐν διαστήμασιν. ὅτι δὲ τῶν σὺν πρίγκιπες, πῆεις τὰς ἀείρας ἐκ τῶν πρῶτων σιμυγῶν διάστημα καθέπερ ἐστὶ ἐν τοῖς Ῥωμαίοις, ἀλλὰ καὶ ἄλλας, ἐν ὁποσούτοις τὸ πλεονεκτήσιν τῶν ἐναντιοῦς ἐλεφάντων. Et Publius quidem copias suas instruxit in hunc modum. Primos quidem Hastatos & eorum manipulos collocavit, cum intervallis inter ordines. Deinde ita ordinavit principes, ut eorum manipulos non è regione innervallorum quibus distabant inter se manipuli Hastatorum poneret, quemadmodum mos est Romanis, sed invicem sibi ex adversum respondentes, satis magna intercapedine propter elephantorum multitudinem, qui in acie hostium erant. Legendum porro in verbis Græcis Polybii, ἀλλὰ καὶ ἄλλας. Quod expressimus in nostra versione. Apparet ex his luce manifestius Livium confudisse ordinationem aciei quæ suo tempore recepta erat, cum Polybiana quam non est assequutus, quia qualis esset aut ignoravit, aut oblitus fuit. Putavit quippe in eo tantum Scipionem à vulgato more instruendæ aciei discessisse quod manipulatim aciem direxerit, relictis inter ordines intervallis, non per cohortes confertas, ut con-

consuetudo ferebat, sive ullis intervallis. Verba itaque illa Polybii, καὶ αἰνέει ὁ Θεὸς τῶν Ῥωμαίων, de consuetudine ordinandæ aciei, quæ tunc apud Romanos obtinebat cum illa scriberet, accepit, & ἀείρας de cohortibus intellexit quales ætate illa accipiebantur, cum denæ legionem unam constituebant. Atqui in illo Polybii loco αἰῆραι & σιμυῖαι synonyma sunt, cohortes & manipuli. Nec Scipio in ordinandis suis copiis aliud novavit præter vulgatum eo tempore morem aciei instruendæ, quam quod intervalla ordinum sive manipulorum non ita disposuit, ut solebantur disponi. Res nova coëgit eum mutare rationem intervallorum quæ inter ordines manipulorum relinqui ex usu ac more illius ævi oportebat. Quod infra pluribus explicabimus. Nunc id docemus Livium perperam in Polybianis αἰῆρας & σιμυῖαι discrevisse quæ eadem sunt. Certum præterea est ætate Polybii, & omnibus sæculis liberæ Reipublicæ ordines & manipulos eisdem fuisse in Militia Romana. Manipulati quippe ordinabantur acies toto illo tempore quo Respublica floruit. Ideo ordines & manipuli iidem, τάγματα καὶ σιμυῖαι. Quod etiam clare testatur locus Livii lib. VIII. ubi commemorat pugnam Latinorum & Romanorum, verbis quæ sic emendanda sunt, & quæ paulo post uberius explicabuntur: *Et quod antea phalanges similes Macedonicis, hoc postea manipulati structa acies cæpit esse. In plures ordines instruebantur.* Tota illa narratione ordines cum manipulis eisdem facit, ne virum doctum audias qui manipulos tam parvos facit, ut velit tum fuisse triginta militum. Quod est falsissimum. Verum de his infra ubi de ordinibus agam. Ex his omnibus constat Polybianam legionem toto genere fuisse diversam à sequentium temporum legione, Militiæ ejus quæ sub Cæsaribus viguit. His quippe tot rebus inter se distabant, numero, divisione, partium denominatione, ordinatione, ordinandorum locatione. Numero differebant, quia justus hîc quasi numerus in antiqua legione fere semper observatus est, ut esset quaternorum millium ac ducentorum. Ab ipsa prima ejus origine ac institutione hîc tenuit, & quamvis interdum numerum acceperit ampliorem, hic legitimus habitus est, & in eum semper Romani reciderunt, usque ad transitum alterius militiæ, ut apparet ex Polybio, cujus ætate hunc numerum ab antiquo velut sollemnem habuit legio. Ideo nunquam

mino-

minore fuit numero, quia ut plurimum hîc status fixusque, quamdiu in *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* divisa est. E contrario ubi in cohortes denas dividi cœpit, nunquam minus militum habuit quam quingentos, etsi aliquando etiam plures, usque ad sexcentos & ultra. Nam & cohortes accepit interdum milliarias, & præcipue primam. Vegetius lib. II. cap. VI. de legione qualis fuit sub Adriano, ex Frontino tractans scribit, *decem cohortibus legionem fundari, qua habet pedites sex millia centum, equites septingentos viginti sex. Minor itaque numerus armatorum in una legione esse non debet.* De legione Polybiana dici posset, minorem numerum in ea armatorum esse non debere quam quaternorum millium ac ducentorum. Nunquam enim minor in vetere legione fuit numerus, ne ab ipsa quidem institutione Romuli, si de gravi armatura verè legionariorum militum accipiat. At in legione quæ sub Imperatoribus conscribebatur, teste Frontino quem Vegetius exscripsit, minor numerus esse non debuit quam sex millia centum. Additque statim: *Major autem interdum esse consuevit, si non tantum unam cohortem, sed etiam alias miliarias fuerit iussa suscipere.* Tempore Cæsaris Julii, miliaria illæ cohortes in legione incognitæ fuere, quo tempore ut plurimum omnes cohortes fuere quingenariæ, tota legio quinum millium. *Divisione* distabat legio vetus à novitia, ac *partium etiam denominatione.* Antiqua legio dividebatur in tres classes quibus discrimen ætas faciebat, atque etiam armorum genus. Hoc discrimine armorum dividebatur in *Hastatos* & *Pilanos*. Hi pilis, illi hastis pugnabant. Ab ætate discrimen trium generum erat. Nam in *Hastatos* juniores, *Principes* robustiores, & *Triarios* veteranos tota legio vetus distinguebatur. In novitia legione ut alia partitio usurpata, ita etiam alia partium denominatio. In solas decem cohortes dividebatur, cohortes autem singulæ subdividebantur in ternos manipulos, manipuli in binas centurias. Hæc legio senum millium fuit, habuitque denas cohortes, tricenos manipulos, sexagenas centurias. Eadem divisio in aliis observata, quæ minorem habebant numerum, ut alibi plenius dicam. Nullos *Hastatos* habuit, nullos *Principes*, nullos *Triarios*. Verus verò nullas cohortes, aut si *ἀνέται* cohortes reddi debent, tales cohortes habuerit triginta, totidemque manipulos quia eadem veteris legionis cohors

ac manipulus. Præterea cohortes veteris legionis, inæquales, recentis omnes inter se æquales, excepto quod miliariam aliquando cohortem primam accepit, cum aliæ essent quingenariæ. At in vetere legione cohortes *Hastatorum & Principum* centum & viginti militum fuere, *Triariorum* vero sexagenos tantum milites habuere. Alia itaque tam divisio quam subdivisio in vetere & in nova legione, alia quoque partium tam enumeratio quam denominatio, & nihil omnino simile in utraque, quantum ad earum numerum & divisionem attinet.

C A P. III.

Legionem antiquam sive Polybianam à Cæsariana & nova diversam fuisse ordinatione.

NON solum ordinatione, sive ordinandi modo, distabat legio Scipionis à Cæsaris legione, sed etiam ipsius ordinationis, ut ita dicam, ordine, & ordinandorum in acie locatione. Sed de ordinatione primum. Ordinatio est ratio, quâ in acie ordinanda disponitur legio per majora aut minora corpora, quæ totidem sunt veluti partes ac membra totius ordinationis. Ordinatio ea *πῆξις* vel *ἐκτάξις* Græce dicitur. Polybiana legio per minora corpora ordinabatur, ut erant manipuli, ex peditibus centum ac viginti. Legio Cæsariana per cohortes instruebatur, quæ corpora fuerunt sexcentorum militum. Unde illud Virgilii de acie, qualis tunc temporis ordinabatur, II. Georgicō:

Vt saepe ingenti bello cum longa cohortes


Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto,

Directæque acies.

Præterea hæc etiam differentia extitit, quod in ordinatione legionis priscæ intervalla relinqui solita inter ordines sive manipulos qui ordinabantur. In nova dum ordinaretur, nihil tale fieri solitum, sed per *confertas cohortes* instituebatur, ut loquitur Livius, hoc est invicem junctas, & nullis intervallis hiantes. Enimvero intervallis antiquitus ideo inter ordines locus fuit, quia id requirebat tum usitata depugnandi ratio, sicut à Livio tradita est, cum in recente nullis ejusmodi inter ordines patentibus viis opus esset. Priscam eam rationem aciei instruendæ, quæ ordinum intervalla desi-

desiderabat, verbis Livii hic referemus, ut inde constet quantum diversa fuerit pugnandi consuetudo veterum ac novorum Quiritum. Ita ergo Livius veterem morem præliorum describit lib. VIII. *Vbi his ordinibus exercitus instructus esset, Hastati omnium primi pugnam inibant. Si Hastati profigare hostem non possent, pedepresso eos retrocedentes in intervalla ordinum Principes recipiebant. Tum Principum pugna erat. Hastati sequebantur. Triarii sub vexillis confidebant, sinistro crure porrecto scuta innixa humeris, hastas sub subrecta cuspide in terra fixas, haud secus quam vallo septa inhorreret acies, tenentes. Si apud Principes quoque haud satis prospere pugnatum esset à prima acie, ad Triarios sensim referebantur. Inderem ad Triarios redisse, cum laboratur, proverbio increbuit. Triarii consurgentes, ubi in intervalla ordinum suorum Principes & Hastatos recepissent, exemplo compressis ordinibus claudebant vias, unoque continenti agmine, jam nulla spe post se relicta, in hostem incedebant.* Cur tam diligenter & accurate hunc modum depugnandi in exercitu Romano descripsit occasione data Livius? Quia nimirum vetus erat & obsoletus, abolutusque. Quod si in ulu fuisset & frequens eo tempore quo historiam scripsit, ludibrium debuisset tunc temporis hominibus Romanis, qui rem omnibus notam adeo anxie & exacte litteris mandaret. In superius positis ejus verbis habemus imaginem ad vivum omnibus suis lineamentis expressam ordinationis antiquæ, qua acies instruebantur. Triplex erat acies pro triplici genere militum quo legiones distinguebantur. Acies illæ invicem sibi succidaneæ disponebantur, & altera alteram sequebatur, nec omnes uno eodemque tempore pugnabant. Secunda erat subsidiaria primæ, tertia secundæ. Ideo intervalla relinquebantur inter ordines cujusque aciei, ut esset quo se reciperent priores, si rem male gessissent, retrocedendo nimirum per intervalla subsequendum, quos vice versa post eorum terga subducti sequebantur. Ita autem disponebantur, ut primæ aciei ordines responderent intervallis secundæ aciei, eo fini, ut si recedendum esset, recta ad intervalla sequentium ordinum retrogradi ferrentur, & sic per ea dilapsi, post terga militum qui in secunda acie stabant, recepti in tuto forent. Quo facto secundæ aciei ordines in hostem procedebant clausis intervallis quæ paruerant retrocedentibus aciei primæ manipulis. Sed hoc, inquiet


aliquis, fieri vix poterat absque turbatione. Ut hodie fiunt acies percipi haud adeo facile potest quomodo receptus ille primæ aciei ordinum procederet per intervalla sequentis, nisi quis attendat ad formam prisicæ ordinationis. Primum non admodum multiplicabantur ordines in unaquaque acie, sed ex paucis constabant in latum ordinibus, ternis aut quaternis ad summum, quo fiebat, ut facilius per intervalla à tergo positorum ordinum se recipere possent, non lata fuga hostibus terga dantes & averfi, sed *sensim*, ut ait Livius, *retrocedentes*. Quod si fugissent, haud sane sine tumultu incidissent in aciei sequentis ordines quos & facile turbassent quantumlibet relictis intervallis patentes. Præterea frequenti & quotidiano exercitio id assequebantur, ut per vias sibi notas & destinatas cum sensissent se premi ab hoste cui impares sustinendo erant, evadere possent, præsertim quibus propositum esset, non fugam petere, sed retro *sensim* pedem referre. Et notare tibi debes, Livium cum de hac ordinatione loquitur, non dicere, averfos *Hastatos*, & in fugam se proripientes in intervalla ordinum suorum à *Principibus* recipi. Quod profecto factum non esset sine magna turbatione ordinum qui eos receperunt. Sed ita rem exponit, *Si Hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum Principes recipiebant*. Non expectabant igitur donec profligati essent, & in fugam conversi *Hastati*, ut de receptu cogitarent. Non enim hic receptus, sed fuga fuisset, verum ubi sensissent profligare se hostem non posse, ultro cedebant. Hæc pluribus in magno opere explicamus, quæ hic signare satis habui. In illo porro genere ordinationis quæ vias inter ordines aperiebat recipiendis retrocedentibus primæ aciei manipulis *Hastatorum*, ita intervalla disponebantur, ut contra ordines ipsos ea statuerentur, & vicissim ordines è regione intervallorum alterius aciei collocarentur in hunc modum.



Veri-

Verisimile tamen est, immo & verum, primos *Hastatorum* manipulos júncto agmine pugnasse. Quo enim in illis intervalla & vias, qui nullos intra se recepturi erant? Sed ubi pugnassent conjunctis ordinibus, si cedendum esset impressioni hostis, tum laxatis ordinibus, manipuli singuli ad intervalla *Principum* quæ ad hoc aperta relinquebantur expectantium eventum pugnae *Hastatorum*, refugiebant. Unusquisque nempe manipulus illud intervallum *Principum* quod sibi à tergo patebat, petere solebat. Sic *Triarii* patentibus prius intervallis subsidentes, ubi in intervalla ordinum suorum recepissent *Hastatos* & *Principes* retrocedentes, extemplo contra hostem procedentes comprimebant laxatos ordines, & vias claudebant. Nunquam enim pugnabant nisi consertis & continuis manipulis, atque uno continenti agmine. In Scipionis acie cum ad alium usum intervalla in his instituisset quam ad recipiendos qui sustinere impetum hostilem non possent, etiam primi *Hastatorum* manipuli laxatis ordinibus videntur constituisse. Quod enim metueret ne elephantum quos hostis in fronte aciei collocaverat in adversum actum turbarent ac perrumperent ordines manipulorum suorum, ideo intervalla inter eos reliquit, quibus belluæ acciperentur sine noxa ac turbatione ordinum. Nam Scipio in eo prælio quo profligavit Hannibalem, aciem suam more qui tunc obtinebat, per *Hastatos*, *Principes*, & *Triarios* ordinavit, cum patentibus nempe intervallis inter ordines cujusque aciei, sed aliter intervalla illa direxit, quam mos militiæ tum vulgatus ferebat. Nec enim ordines sequentes opposuit intervallis præcedentium ordinum, nec intervalla ordinum subsequantium ex adverso statuit manipulorum qui primam aciem constituiebant, sed intervalla contra intervalla direxit, ordines contra ordines. Ideo ordinationem vulgarem mutavit, ut elephantum quibus prævalebat Hannibal, & quos in fronte ante aciem collocaverat, transmitti sine offensione possent per intervalla, quæ uno tenore directa ternas acies dividebant. Si enim pervulgata arte ordinandi instruxisset aciem, elephantum per intervalla *Hastatorum* accepti incurrissent in ordines *Principum*, eosque perrupissent. Ita igitur fuere disponenda intervalla ut uno & recto ductu tam inter *Principum* manipulos quam inter *Hastatorum* ordines laxamentum darent. Appianus id ita explicavit, λόγους ὁρθίως ἐπιείκην πάν-

*Τὰς ἴα δι' αὐτῶν αἱ ἰσῶεῖς ἀγέοιεν. Omnes ordines rectos instituit ut equites per eos facilius discurrerent. Recti ordines, ut etiam interval-
la recta. Nam ut ordines ordinibus oppositi in rectam lineam, ita
intervalla intervallis. Et Livius quoque *rectos ordines* in illa or-
dinatione Scipionis appellavit his verbis: *Vias patentis inter ma-
nipulos antesignanorum velitis, ea tunc levis armatura erat,
complevit, dato praecepto, ut ad impetum elephantorum, aut post rectos
refugerent ordines, aut in dextram laevamque discursu applicantes se
antesignanis viam quae irruerent in ancipitia tela belluis darent.* Hoc
praecipit Scipio, ut velites quibus illa spatia inter ordines vacan-
tia compleverat ne quid hiulcum inter ordines videretur, ad pri-
mum impetum elephantorum, aut post tergum rectorum ordi-
num id est in recto ordine collocatorum se subducerent, aut ad
latus eorum se adplicarent, dextra laevaue. Rectorum ordinum,
ut & intervallorum, hæc forma fuit.*



In verbis Appiani quibus eam ordinationem Scipionis expli-
cavit multa animadvertenda sunt. Primum λόχος nominavit
contra Romanum morem qui per λόχος non ordinabant aciem
suam. Sed & λόχοι non erant, illi ordines in acie Scipionis quos
rectos instituit, sed ζυγοὶ potius ex usu Græcorum πικυκῆς. De
quibus infra pluribus ubi de ordinibus tractabimus. Deinde fal-
sum est quod ait omnes ordines rectos in acie instruenda à Sci-
pione institutos fuisse. Nam solum antesignanorum ordines ita
disposuit cum intervallis patentibus, id est *Haslatorium & Princi-
pum* solos manipulos. Hi quippe soli vocabantur eo tempore *ante-
signani*. Et Livius testis est inter solos antesignanorum manipu-
los eas patentis vias relictas. Quod longius subducti essent ac
diffiti à reliquis *Triariorum* manipulis qui sepositi erant ad subli-
dium, ideo rectus intervallorum rigor qui antesignanorum ordi-
ne,

ne, disjungebat, ad eos usq; non est perductus, quod eo pervenire elephantorum impetus non posset. Postremo aliam rationem intervallorum sic inter manipulos perpetuo rigore ductorum adfert Appianus, præter veram. Dicit enim ideo sic constitutos in rectum ordines, ut equites per eorum intervalla discurrerent. Solebant quidem interdum etiam in novitia militia, cum aciem instruerent, intervalla inter ordines patentia relinquere ad equites emittendos contra hostem, & rursus admittendos cum receptu sibi consulere vellent, si ab hostili equitatu premerentur. Sed in antiqua militia hoc nunquam factum. Et speciale illud institutum Scipionis fuit quo à vulgari more intervallorum recessit in acie ordinanda, non propter equites proprios quo emitti in hostem possent, sed propter hostium elephantos, ut immissi per intervalla transmitti possent imperturbatis ordinibus. Sylla adversus Archelaum in Asia pugnaturus ita aciem instruxerat relictis intervallis, ut per patentibus inter ordines vias levem armaturam & equitem quem in novissimo collocaverat agmine, cum res exegisset emitteret, sicut à Frontino traditur lib. II. Strategematum cap. III. Sed in antiqua ordinatione ob aliam causam & aliter intervallis distincta acies. *Africanus* in libris qui nondum sunt editi *de re Bellica* caput habet περὶ ἀποτομῶν ἢ διασημάτων τῆς φάλαγγος. *De intervallis peditum in acie.* Sede in legione in cohortes jam divisa locum habuere & in novitia Militia, & propter equitatum instituta sunt, qui à novissimo agmine per intervalla ordinum erumpebat adversus hostem & per alia ejusdem aciei intervalla se rursus post terga recipiebat ordinum. *Africanus* in eo capite φάλαγγα τῶν ὁπλιτῶν vocavit universum peditum exercitum, quem componit ex cohortibus quingenariis triginta duabus. Triginta illas cohortes in fronte aciei ponit, quæ ternas legiones efficiunt Romanas ex quinque millibus singulas constantes. Quem legionum legitimum numerum ad exercitum peditum componendum Romanos veteres existimasse inferius docebimus. Singulas illas cohortes in fronte dispositas intervallis disjunctas ejusmodi esse vult, ut equites quinque per ea possent transire. Καὶ αἱ μὲν, inquit, τριάκοντα ἐν τῇ μάχῃ πύσσον) εἰς ὁδοτάξιιν ὀθεῖαν ἢ ῥομὴν εἰς μέτωπον ἢ πρὸς ὥπον τῆς φάλαγγος διακεχωρισμέναι ἀλλήλων αἰς εἶναι ἀναμέταξον αὐτῶν ἀποτομὰς καὶ διασημάτα ὥστε χωρήσας ἰππεῶν

ἰππέων πέντε καὶ ζυγὸν ἐπ' ὀφείας ἐξερχομένων. *Et tricena quidem ex his cohortes quingenaria directa fronte in acie ordinantur invicem à se disjuncta intervallis quinque equitum per ea inter ordines exeuntium capacibus.* Sed de his infra. Phalanx quoque Macedonica præter illud intervallum quod unicum agnoscunt auctores qui πελὶ καὶ scripsere, ut Ælianus, & quo in duas partes dividebatur, id est in cornu dextrum & sinistrum, pluribus etiam aliquando intervallis distincta fuisse videtur, ut ex Livio constat lib. xxxvii. ubi Antiochi Magni phalangem dicit in decem partes in fronte distinctam fuisse, binis elephantis per singula intervalla interpositis: *Decem & sex millia peditum more Macedonum armati fuere qui phalangita dicebantur. Hac media acies fuit. In fronte in decem partes ea interpositis binis elephantis distinguebatur. A fronte introrsus in duos ac triginta ordines armatorum acies patebat.* Hoc idem Ap- pianus qui à Polybio habuisse videtur, clarius explicat de eadem phalange in Antiochi loquens libro de bellis Syriacis, ubi scribit eam phalangem Macedonicam Antiochi divisam in fronte fuisse in decem partes. Sic novem habuit intervalla hoc est διὰξήματα. Unaquæque pars in fronte habuit quinquaginta milites: à fronte introrsus, qua altitudo aciei numeratur, triginta duo. Ita singulæ partes mille & sexcentis militibus constiterunt, quæ simul junctæ numerum reddunt decem & sex millium, quot pedites habuit Macedonica phalanx. Interdum & per μονοφάλαγγας separabatur, ac sic tota φάλαγξ in quatuor partes in fronte dividebatur, quas partes singulas, auctores Græci vitæ Alexandri πέξτε vocant & φάλαγγας. Ita unaquæque phalanx in acie ad eum modum ordinata per μονοφάλαγγας non consertas, sed intervallis relictis patentes, tria habuit διὰξήματα. Verum de his infra. Sed intervalla illa inter ordines patentia propria rum fuere Romanorum ordinationis. Græci quoque aliquando ita intervallis suas distinxere acies, ut primi Romani soliti sunt, ad recipiendos eos qui ex prima acie, retro cederent. Xantippus Laco arte sua pressit Romanos in acie qua Regulum devicit. Sic enim eam instruxit, *ut levem armaturam in prima acie constituerit, in subsidio robustissimos exercitus, & præcepit auxiliariis ut emissis telis cederent hosti & cum se intra suorum ordines recepissent, confestim in latera discederent, & à cornibus rursus erumperent, exceptumque jam hostem à robustioribus & ipsi*
cir-


circumirent. Non potuere inter ordines se recipere retro cedentes ex prima acie auxiliares, nisi per intervalla ad hoc relicta in secunda. Clarumque est quod ante notavimus, hæc intervalla fieri solita non ad profligatos & fugaces ex prælio recipiendos, sed si qui vel ex mandato ducis *πρὸς τὴν μάχην* cederent hosti ut in Xanthippi acie, vel qui sentientes hostem superari à se non posse, ultro pedem referrent, & sensim ad suos relati per intervalla ordinum retro subducebantur, ut ab illis ipsis ordinibus per quos se subtraxissent, exciperetur hostis, ut in Romana fieri solitum, sed antiqua. Quod *ὅτι πῶδα ἀναχωρεῖν* Græci dicunt, id Livius latinè vertit *retro sensim cedere*. Et confirmat idem Polybius id quod à Livio traditum est non propter fugientes, sed propter retro cedentes sponte sua, vias patentes inter ordines manipulorum pandi solitas. Flaminium eo nomine arguit quod aciem contra Gallos sic ordinavit, ut corrumpere quod erat maxime peculiare Romanæ ordinationis, cum spatium non dedit manipulis pedem sensim ex acie referentibus per intervalla ordinum à tergo positæ aciei. Ad præruptam quippe fluminis ripam aciem admoverat & sic retrocedendi ac se recipiendi intra suorum ordines spatium militibus præclusum ademerat. Verba Polybii: *παρ' αὐτῶν ἡ ἐφ' ἧν ἔπτα μὲν ποιήσαμεν* & *ἐν τῇ ἐν δὲ φέρει τὸ ἑ Ρωμαίων ἐν τῇ ἐξ ἰδίων ἐχ' ὑπολφνόμεν* & *τὸ πρὸς τῶν ὅτι πῶδα τῶν ἀναχωρήσιν.* Acie quippe instructa & admotā ad ipsa fluminis præripia, corruptit quod erat proprium Romanæ instructionis, non relinquens locum manipulis retro sensim cedendi ac se recipiendi. Hoc ἑ Ρωμαίων τῇ ἐξ ἰδίων, Romana ordinationis proprium dicitur, non qualis sub Cæsaribus in usu & more fuit, sed qualis sub Scipionibus, ne quis istic amplius erraret, ut ab omnibus huc usque erratum est. Nihil tale factitatum in ordinatione qua usi sunt Cæsar & Pompejus, omnesque postea Romani duces & imperatores. Huiusmodi ordinationem quæ per parvas manus & inter se distantes, viis interpositis instruebatur, *cuneis instrui* dixit Frontinus lib. II. c. III. de acie ordinanda. *Paulus*, inquit, *adversus Persen, Macedonum Regem cum phalangem suorum duplicem mediam in partem direxisset, eamque levi armatura cinxisset, & equitatum in utroque cornu collocasset, triplicem aciem cuneis instruxit, inter quos velites subinde emisit.* Cuneos appellavit, manipulos viis disseptos à cuneorum theatralium forma, quæ sedilium loca erant, viis & canalibus

nalibus interjectis separata, quibus non dissimiles manipuli inter se distantes, per interpositas vias quibus dispersebantur. Alias *cuneus* apud Tacticos forma est catervæ militum in trigonum ordinatæ, de qua non hic intellexit Frontinus, qui manipulos à manipulis via interposita separatos ita vocavit, ut mos fuit fieri in antiqua militia. Ideo & velites inter eos cuneos subinde emissos memorat, quod inter manipulos intervallis distinctos fieri solum supra notavimus. Et sic Scipio in acie qua cum Hannibale confligit velites ea intervalla ordinum complevit. Hæc manipulatim sive cuneatim instructa ordinatio, ac brevibus manipulis velut intercisa, præstabat ut acies in omnes partes versatilis esset, laxari & comprimi facilis, propter intervalla quibus erat distincta. Egregia ad hanc rem signandam verba Polybii, sed quæ vulgo male legantur, ne melius intelligantur ab eruditis viris. Οὐσης γὰρ Διατάτῃ τῶν Ῥωμαίων τάξεως τὸν ἄνδρα πωλεῖν καὶ καθόλου καὶ κατὰ μέρη μάχεσθαι πρὸς πάντας τὰς ὁπλιφανείας, διὰ τὸ μὲν ἐν τάξει αἰεὶ ἵστανται τῷ δευτέρῳ σφαιμαίων σπερμασφαιῶν πρὸς τὸ δέον. Cum enim *divisa esset intervallis acies Romana, eo fiebat ut singuli tam universo agmine, quam per partes, id est manipulatim, pugnare possent in omnes ad aspectus una eademque ordinatione, quia manipuli illi qui periculo propiores erant, occurrere semper possent quocunque usus vocaret.* Emendavimus in his Polybii verbis necessaria prorsus correctione, ὥς γὰρ Διατάτῃ τῶν Ῥωμαίων τάξεως, pro eo quod vulgo legitur, Διατάτῃ. Nam certe τὸ Διατάτῃ in acie cum vitio fit. Aciem quippe quæ perrumpitur dissipari significat. Hac ratione motus vir Græce doctissimus correxerat, δυσδιάτατῃ ὥς. Verum quidem fuisse δυσδιάτατῃ aciem Romanam, quæ muri instar habebat, dissolvi ac perrumpi vix ullonifū facilis. Sed tunc causæ non respondebit effectus qui subijcitur apud Polybium. Quod δυσδιάτατῃ esset acies Romana, an ideo eveniebat ut per partes in ea pugnaretur, id est per manipulos, & καθόλου, id est universo agmine? Hoc falsum. Phalanx Macedonica etiam δυσδιάτατῃ, & impenetrabilis, non id tamen habebat, ut ea instructione manipulatim pugna capesseretur à tota phalange. Quod etiam alio loco notavit Polybius. Διατάτῃ acies est intervallis distincta, instructa ἐν Διατάτῃ, ut loquitur idem Græcus auctor, id est cum intervallis. Ideo pugnare in ea poterant milites κατὰ μέρη, id est manipulis seorsim signa infe-


ten-

rentibus, quia per manipulos erat instructa distantes inter se, sive *Ἀσπάργες*. In nova militia hæc etiam fuit ars ut laxarentur ordines recipiendis fugientibus & turbatis, qui male in prima acie pugnauerant. Unde illa Taciti lib. III. Historiarum: *Sed ubi fortuna contra fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos*. Sed vel ex hoc loco constat ideo laxari solitos tunc temporis ordines, recolligendis ex fuga militibus, quia laxati vulgo non paterent eo ordinandi more qui illa ætate obtinebat. At in vetere militia *Principum* manipuli ita instrui post *Hastatos* consueverant, ut inter ordines patentia relinquerentur intervalla recipiendis non fugientibus aut turbatis, sed sensim retro cedentibus. Spatia illa inter manipulos vacantia velitibus completa fuisse in exercitu Scipionis ideo Frontinus scribit, *ne interluceret acies*. Hoc non dixit neque Polybius, neque ex eo Livius. Sed Frontinus ad ætatis suæ morem respiciens quo interlucere non debebat acies nullis inter ordines aperiri solitis viis, ideo hanc causam retulit, cur Scipio intervalla ordinum in acie à se ordinata replenda curaverit velitibus. Atqui ex arte quæ tunc observabatur id ille fecitavit. Viæ illæ patentis inter manipulos relinqui solitæ, vulgo velitibus ac levi armaturæ assignabantur, ut inde primo conflictu contra hostem emitti possent. Quod cum fecissent, rursus aut per eadem intervalla se recipiebant, aut in latera discurrebant, ut locum darent *Hastatis* in prima acie post velites ac levem armaturam pugnaturis. Quod alibi pluribus explicabimus. Idem Frontinus vel male Polybium assequutus est in illa pugna describenda, vel si Livium aliis verbis expressit eundem errorem ab eo quem imitabatur, mutuatus est, dum ita scripsit: *Scipio adversus hanc formam robur legionum triplici acie in fronte ordinatum per Hastatos & Principes & Triarios opposuit, nec continuas construxit cohortes, sed manipulis inter se distantibus spatium dedit*. Quomodo per continuas cohortes potuisset tunc aciem ordinare Scipio cum nondum in cohortes legio divideretur, & mos militiæ perpetuus eo tempore exigeret aciem instrui manipulis inter se distantibus sed alio modo quam tum ea disponi voluit Scipio? Hoc enim solo recessit ab ordinandi vulgato usu quod directa per aciem *Hastatorum* & *Principum* intervalla uno ductu ac tenore pertulit, cum aliter disponi solerent. Fefellit Livium, forte & Frontinum, vox Græca *ᾠρεῖα* quæ

quæ apud Polybium non aliud significabat quam manipulum centum & viginti militum, cum vulgo apud Græcos scriptores illius ævi *cohortem* designaret sexcentis hominibus constantem. Sed nec scio quid illud sit quod à Frontino scriptum est, *Robur legionis à Scipione triplici acie in fronte ordinatum, per Hastatos, Principes, & Triarios?* In fronte quidem ordinabantur *Hastati* qui & primi pugnabant, sed *Principes* qui secundam aciem constituebant, & *Triarii* qui tertiam, non possunt dici una cum *Hastatis* in fronte ipsa ordinati. Livius lib. VIII. de *Hastatis* dicit, *primam eos frontem habuisse juvenum pubescentium ad militiam*. Si prima frons *Hastatorum* fuit, non etiam quæ sequebantur acies *Principum* & *Triariorum* in prima fronte aciei constitisse putandæ sunt. Sed & illud falsum quod ait *robur legionis in prima fronte collocatum*. Hic iterum cogitavit ævi sui militiam & ordinationem quæ robur legionis in prima fronte collocabat. Contrarium usû receptum fuit apud veteres bellatores qui robur legionis in postrema acie collocabant. Hujus veteris ac jam desitæ rei militaris Frontino ignoratæ multa vestigia apud Vegetium reperio qui eum breviavit. Sæculo Livii & Frontini continuæ cohortes in acie disponebantur, id est continenter junctæ, & *confertæ*, ut loquutus est Livius. Ex cohortes sexcentorum militum erant. At Polybii temporibus per manipulos centum & viginti militum construebatur acies, qui distabant inter se aliquanto spatio, non connectebantur serie continua. Frontinus apud Vegetium de ordinatione legionis per continuas cohortes: *Acies peditum à prima cohorte incipit ordinari in cornu dextro: huic cohors secunda conjungitur. Tertia cohors in media acie collocatur: huic annectitur quarta*. Formam continuarum in acie cohortium hîc subjctam habes.



Hæc unius legionis ex decem cohortibus constantis ad unam aciem componendam instructio. Si quis ex una legione tres acies ut tum ordinari solebant, binis introrsum ordinibus contextas instruere velit, ut exempli gratia instruendas proponit apud Vegetium Frontinus, hæc dabitur forma. Ex



Ex una legione tres hichabes acies ordinatas, in binos, introrsum patentes ordines. Prima & secunda cohors dextrum occupant cornu, quæ prima est acies. Tertia cohors cum quarta mediam aciem obtinet. Sinistrum cornu quæ est tertia acies, datum est quintæ cohorti. Hic primus ordo & prima frons triplicis aciei. Quinque aliæ cohortes in secundo ordine sunt collocatæ, absque intervallis ordinatæ nisi quibus acies ab acie inter se debet à tergo distare. Et singulæ hîc acies cohortibus confertis constructæ sunt, non ut olim in vetere militia obtinuit, manipulis separatim instructæ. In hoc igitur magna stetit antiquæ ordinationis & novæ differentia. In antiqua ordinatione, sollemnia & velut ordinaria inter singulos cujusque aciei ordines intervalla partim ad emittendos velites & equites, partim ad recipiendos priorum acierum manipulos si quando impares pellendo hosti pedem sensim referre cogentur. In nova ordinatione nulla intervalla relinqui solita nisi inter ipsas acies si quando æquata fronte collocarentur, ut unam lineam veluti constituerent. Quod genus ordinationis maxime in usu tunc temporis fuit.

C A P. IV.

De ordinandorum in acie locatione, sive ordinationis ordine qua differebat legio vetus à nova.

Distum est de ordinatione legionis in acie instruendâ, qua Polybiana à Cæsariana distabat. Est & alius quasi ordo ipsius ordinationis quod in locatione ordinum ipsorum consistit. Ut enim in omni ordine sive ordinatione alii primi sunt, alii extremi, alii medii quibus ordo totus constituitur, ita & in ordinandis peditibus equitibusque alii anteponebantur, alii postponebantur. Alii primam aciem construebant alii postremam, alii mediam.

diam. Nam ordinatio ipsa legionis quam superiori capite explicavimus, in ea tantum ordinandi ratione sita est quæ per majora aut minora corpora aciem instruit, per cohortes puta vel manipulos. Hic vero ordo de quo nunc agendum est, spectat locationem ipsam militum in *principiis* aut *postprincipiis*, ut *antesignanierant*, & *postsignani*. Ea per numeros procedebat ordinales, alia ordinatio per cardinales. Quot manipuli nimirum vel quot cohortes in fronte consisterent, quot ordines à fronte introrsum paterent. At ille de quo diximus ordinandi modus per cardinales ibat numeros, ut prima, secunda, tertia acies: primus, secundus, tertius ordo. Ut ecce Varro de Lingua Latina lib. iv. scribit, Pilanos in acie Romana etiam *Triarios* dictos, *quod tertio ordine extremis subsidio deponerentur*. Cum tertius ordo fuerit *Triariorum*, secundus ordo qui tertium antecedebat *Principum* erat, & primus *Hastatorum* qui *Principum* ordinem anteibat. Hæc igitur ordinatio sive ordinum locatio non in una acie cernitur, sed in pluribus. Una acies aut plures habuit manipulos, aut plures cohortes quibus legio una ordinabatur. Plures autem acies hunc ordinem constituebant de quo hîc agimus. Quo genere ordinis sive ordinum locationis non minimum etiam distabat antiquæ legionis instructio, qualis in usu fuit ætate Scipionum ab ea quæ frequentabatur ævo Cæsaris & Pompeii. Ex censu & classibus hic maxime ordo in ipso militum delectu statuebatur, & locum habebat non solum in acie, sed etiam in agmine, & in castrametatione. Nam *Hastati* cum deligerentur, ex inferioribus census classibus capiebantur, *Principes* ex mediis, *Triarii* ex primis. Contrarium ordinem in militia servabant. Nam qui ex ultimis classibus sumpti erant in primo ordine & prima acie pugnabant, qui ex primis in tertia ac postrema acie ponebantur, ut *Triarii*. Ætatis etiam ratio in ista ordinatione instituenda habita est. Antiqua ordinatio primam semper aciem habuit ex junioribus compositam, secundam ex robustioribus qui virilem ætatem attrigerant, tertiam ex senioribus ac veteranis militibus, quos & *Triarios* ideo dixere quod in tertio ordine ponerentur, sive tertia acie, veluti ad subsidium reservati. Contraria huic planè ordinatio obtinuit in recente militia. Veterani quippe omnes milites in prima acie collocari solebant, & *Principia* legionis, id est *Principales* milites qui

qui privilegiis nempe muniebantur. Ex primis quippe semper cohortibus legionum prima acies instruebatur. Primæ autem cohortes ex maxime exercitatis ac veteranis militibus constabant, & totius legionis robur in prima quaque acie consistebat. Hæc *aquilam* etiam habebat, quod signum erat legionis, & *imagines Imperatorum*, quæ & *signa* proprie dicebantur, cum reliquarum cohortium *vexilla* appellarentur quia ex velis conto appensis erant, vel *dracones* ex pannis, cum *aquila* legionum solida essent signa, ut & imperatorum imagines. Nec tamen ignoro omnium cohortium *vexilla* etiam *signa* vocari. Sed cum distincta leguntur *signa à vexillis*, & *signiferi à vexilliferis*, tum signa propria primæ cohortis intelligenda, & *vexilla* de reliquarum cohortium signis accipienda sunt, ut paulo post docebitur cum qui fuerint *vexillarii legionum* apud Tacitum explanabimus. *Primipilus* præterea *Triariorum* olim fuit, non *Hastatorum*, neque *Principum*. Atqui *Triarii* postremam aciem constituebant sive tertiam, post primam *Hastatorum*, & secundam *Principum*. In posteriore vero militia, quæ per cohortes legionem divisam numerabat, *Primipilus* datus est primæ cohorti legionis. Hic *Primipili* centurio qui præerat *aquilæ*, & hæc olim penes *Triarios*, & in tertia acie præferebatur, non ut postea factum in prima acie quæ à prima cohorte, ut testatur apud Vegetium Frontinus, incipiebat ordinari. Ergo ex veteris militiæ instituto veterani in postrema acie pugnabant: commutata vero re militari in prima acie dimicare coeperunt cum lectissimis quibusque ac præcipuæ dignitatis militaribus viris. Seneca in libro, Quod non cadit in sapientem injuria: *Quo quisque genere honestior fama, patrimonio est, hoc se fortius gerat, memor in prima acie altos ordines stare*. Nam in prima acie, & quidem ante signa pugnabant legati legionum, tribuni, primorum ordinum centuriones & alii milites quos *principiorum* nomine vetus ætas appellabat, Vegetius *principales milites* appellat. Nec solum in acie, sed etiam in agmine hoc ordine ibant primæ dignitatis in militia viri. Arrianus: ἐπὶ τὰ το σημεῖον τὸ πεντεκαίδεκάτης φάλαγγος, καὶ ἀμφ' αὐτὰς οἱ ἡγεμῶν τὴ φάλαγγα οὐάλης, καὶ οἱ χιλίαρχοι οἷς τίτλοι, καὶ ἐκατόνταρχοι οἱ τὴ πρώτης σωείρας ὄντες. Postea sequitur signum legionis decima quinta & circa illud legatus ipsius legionis, & tribuni quibus hoc constitutum est, & centuriones qui primæ cohortis ordines

ordines ducunt. Signum illud legionis aquila est, circa quam & in acie & in agmine dispositi erant alti, ut dixit Seneca, totius legionis ordines de quibus diximus, item *evocati* & si qui alii ex primoribus voluntate sua castra sequebantur. Unde idem Seneca dixit in Epistolis, *Primam aciem Pompeianarum partium senatum fuisse.* Idem quoque scriptor in libro de Tranquillitate ait, *Quid si militare nolis nisi imperator, aut tribunus? Etiam si alii primam aciem tenebunt, te fors inter gregarios posuit.* Est & alia hujus loci lectio, *inter Triarios.* Quam haud improbam non probe affirmavit vir magnus. Nam *Triarii* illa ætate in legione nulli nomine. Nec *Triarios* qui honestissimum gradum in militia constituebant quamdiu fuerunt, pro infimi loci militibus ibi nominasset Seneca. Apparet quippe eum illo loco opponere munifices & gregarios manipularesque summis ordinibus, & primæ dignitatis militibus. Atque hi illo sæculo primam aciem tenebant. Nec præter morem, & usum sæculi fecisse credendus Catilina, cum Sallustio teste *Centuriones omnes lectos & evocatos, præterea ex gregariis optime quemque armatum in primam aciem subduxit.* Certe illo tempore lectissimi quique, & honoratissimi milites in prima acie pugnabant, ut tribuni, primæ cohortis centuriones, evocati, & alii si qui voluntarii ex primoribus militabant. Non alii tamen ait, ut tribunorum Arrianus, quam οἷς π(α)ρ', quibus *iderat constitutum.* Sed cur, inquirunt, id signanter narraret à Catilina factum Sallustius, nisi præter morem esset? Certe illud novum ac præter morem tum instituit facere Catilina, quod etiam ex gregariis optime quemque armatum, & centuriones ex ultimis ordinibus, in fronte statuit. Hoc enim significat *subducere in primam aciem*, hoc est ex ultimo loco, & postrema acie in primam revocare. Nam primorum tantum ordinum centuriones & tribuni, & alia legionis *principia*, primam aciem constituebant. Quin & illa falsa notatio, viri alias summi, sed in scientia veterum militari parum exercitati, Catilinam non in primam aciem eos subduxisse, sed *Hastatorum* ordinum ductores ibi tantum de more fuisse in prima fronte versatos. Quid nobis *Hastatos* commemorat qui pridem ex militia Romana subducti jam non amplius nec in prima, nec in media, nec in postrema acie comparebant? Olim primi pugnabant, postremi *Triarii*. Postea *Triariorum*, id est

est veterum militum, sed prisco abolito nomine, prima pugna fuit in cohortem primam conscriptorum à quo incipiebat ordinari prima acies, id est dextrum cornu. Post immutatam porro militiam duplicis generis fuere qui primam aciem constituebant. Aut enim ante signa pugnabant, aut post signa. Qui ante signa pugnabant, nulla signa sequebantur, & duum etiam generum fuisse. Aut enim *velites* erant, quæ levis armatura: aut *Principia legionis*, sive *principales milites*, & *principes ordines*. Neutri in cohortes conscripti, nec signis alligati, à loco quem in acie tenebant *Antesignani* appellati. De velitibus Varro apud Nonium:

Quem sequuntur cum rotundis velites leves parvis,

Antesignani, quadratis multisignibus tecti.

Ecce *antesignanos* vocat velites quia ante signa pugnabant. Tam in vetere quippe quam in nova militia, leves armaturæ ante omnes acies prælium inchoabant. Unde & *Rorarii* aliquando dicti sunt, quod ut ros pluviam præcedit, ita illi præmittebantur ad prælium capeffendum priusquam legionarii signa inferrent. Non tamen illo in tempore nomen *antesignanorum* illis tributum legitur. Apud Cæsarem mentio fit *antesignanorum legionis* qui non alii videntur fuisse quam illi ipsi Varroniani velites, & expediti milites qui procurrebant ante signa ad prælium incipiendum. Sic enim scribit, *Vnius legionis antesignanos procurrere, atque occupare eam locum jubet*. Apparet expeditos ac levis armaturæ pedites fuisse. Item alio loco: *Adolescentes atque expeditos ex antesignanis electos milites*. Alibi apud eundem equitibus intermixti pugnant *antesignani* quod velitum olim proprium fuit. Atqui etiam *Principia legionis*, sive principales milites, ante signa quoque pugnare solitos eo tempore certum est, ut ex his quæ jam diximus, liquet. Tacitus lib. II. Historiarum: *Primani stratis Vnaetvicesimanorum Principiis aquilam abstulere*. Ergo illa *principia* ante aquilam pugnabant, quibus stratis nudata & exposita hostibus aquila, & ablata. Quæ fuerint *Principia legionis* explicat Vegetius lib. II. cap. VII. his verbis quæ sic ex libris corrigenda sunt: *Antiqua ordinatione legionis exposita, principalium militum, & ut proprio utar vocabulo, Principiorum, nomina & dignitates secundum præsentis matriculas indicabo*. Quod nomen & aliis locis corruptum apud eundem extat, ubi *Principes* pro *Principia* legere est. Festus *Prin-*

E

cipes

cipes ordines enim appellavit quæ aliis una voce *Principia* sunt, aut *principales milites*. *Principalis*, inquit, *castrorum porta nominatur quod in eo loco est in quo Principes ordines tendunt*. Quamvis autem ante signa & hæc *Principia* pugnarent, non tamen *antesignanorum* nomine tum signata reperi. Quæ appellatio propria data est velitibus & levi armaturæ, ut ex Cæsare constat & Varrone. Et sane ratio pugnandi utrisque dispar fuit. Nam nec uno & eodem loco aut tempore pugnam inibant. Velites & *antesignani* legionis priusquam tubicines canerent & signa inferrentur à legionariis, emittebantur ad pugnam, in qua si nullum operæ pretium edere potuissent, recipiebant se ad latera legionum, aut ad terga earundem refugiebant. At *Principia* non movebant se nisi cum signum tuba datum esset, & simul cum legionariis postquam signis infectis in hostem iri cœptum esset, procurrebant, & ante signa emicabant. *Antesignanorum* in vetere militia alia notio fuit. Ipsi quippe legionarii qui primi in prælium exibant, *Hastati* nempe & *Principes*, ita dicebantur. Et hac significatione passim apud Livium in præliis quæ facta sunt, Republica adhuc stante, accipiendi sunt *Antesignani*. Clare ita vocavit lib. xxx. ubi prælium describit Hannibalis & Scipionis, his verbis: *Vias patentes inter manipulos antesignanorum, velitibus, ea tunc levis armatura erat, complevit*. At nulli *antesignanorum* ordines aut manipuli, prout accipiebantur ævo Varronis & Cæsaris, nulla etiam signa. Præterea quos *antesignanos* ibi appellavit Livius, Polybius in Græcis quæ à Livio reddita Latine sunt, *πρώτοι σημαίας ἀσπίτων* & *πρυγίπων* dixit, id est *primos manipulos Hastatorum & Principum*. Certum tamen est Livium ac Frontinum dum ætatis suæ antesignanos, qui tum appellabantur, respiciunt, & eos qui sic vocati sunt iis scriptoribus Latinis qui vixere ante mutatam rem militarem, utrosque confudisse, ac nescisse cur *antesignanos* vocaverit antiqua militia *Hastatos* ac *Principes*. Namin illa ipsa pugna qua acie decertarunt Hannibal ac Scipio, cum *antesignanos* vocasset Livius, qui Polybio sunt *πρώτοι σημαίας ἀσπίτων καὶ πρυγίπων*, ita dictos videtur voluisse quod ante sua signa ordinarentur. Sic enim scribit: *Instruit deinde primos Hastatos, post eos Principes, Triariis postremam aciem clausit, non confertas autem cohortes ante sua quamque signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes*.

stantes. Quidnam illa sibi velint nescio, *ante sua quamque signa cohortes instruebat.* Nec enim eo loco Polybii quem Latine convertit, ullum ejus rei vestigium. Paulo post etiam *antesignanos* appellat *Hastatos & Principes:* *Nec pila ab antesignanis cessabant,* id est *Hastatis & Principibus.* Quos cum *antesignanos* à scriptoribus veteris militiæ passim dictos legisset, putavit ita appellatos quod ante sua signa collocari soliti essent. Quod est falsissimum. Nam post sua signa tam manipuli in antiqua militia, quam cohortes in nova, collocari solebant, ut infra dicam. *Antesignanorum* porro veterum & recentium plane par appellationis ratio, quamvis conditio dispar. Veteres quippe legionarii milites fuere, novi leves armaturæ. *Antesignani* tamen utrique, quia ante signa legionis sic proprie dicta pugnabant, *Legionis signa* ita proprie appellata, ut ante docui, penes *Triarios* olim erant, commutata militia, primæ cohorti legionis attributa sunt. Numero namque legionum amplificato, & immutata belligerandi ratione, *Triarii* antiqui in primam cohortem coniecti sunt. Et qui olim postremam aciem claudebant, primam ut constituerent postea institutum est. Cum autem semper & olim & postea aquilam & signa legionis habuerint, inde factum ut quicumque initium pugnae facerent antequam ipsi cum hoste congredierentur *Antesignani* sint appellati. Inde evenit ut cum postremi pugnarent, qui ante ipsos in prælium vadebant, dicti fuerint *antesignani.* Ita ergo hoc nomen nacti sunt *Hastati & Principes.* Ubi vero in primam aciem subducti fuere *Triarii*, & in primam cohortem coniecti sunt à qua prima acies incipiebat ordinari, tum levis armatura à qua initium pugnandi fiebat, in hanc appellationem *antesignanorum* concessit, quia similiter ante aquilam & signa legionis pugnabant, ut olim soliti *Hastati & Principes*, cum ante *Triarios* qui signa legionis tenebant, in acie constituerentur. Προμάχους eos vocat Plutarchus in vita Camilli & Polybius πολεταγμένους quia πολεταγής Græcis Tacticis dicitur cum levis armaturæ pedites ante phalangitas ponuntur. Μηταγής vocant cum iidem post phalangem quæ gravis armatura est, collocantur. At πρηνταγής est cum interferuntur leviter armati, graviter armatis. Non potuere autem aptiore vocabulo Græce reddere qui apud Historicos Latinos præci ævi vocabantur *Antesignani*, id est in prima acie pugnantes. Ta-

metri enim non essent ex numero velutum isti *Antesignani* veteres, sed legionariorum pars essent, proprie tamen *Triarii* gravis armaturæ vicem in legione sustinebant, nomenque merebantur. Verum enimvero eo loco Plutarchus non de *antesignanis* Romanorum loquitur, sed de iis Gallorum qui in prima acie pugnabant, quales eo tempore *Antesignanos* Romani appellabant. Sic enim scribit. καὶ φόνον ἦν πολὺς τῶν περὶ τῶν, φυγῇ δὲ τῶν ἄλλων ἀπὸ τῶν χόρσις ἐπιδίχθη. Nam Galli eo prælio cæsi sunt à Romanis Camillo duce. Eorum igitur περὶ τῶν id est antesignanis trucidatis, reliqui passim effusa fuga per campos dispersi. περὶ τῶν enim velites dicti, & recentioris militiæ *antesignani*. Inter veterum igitur *antesignanos* & περὶ τῶν *Hastati* erant qui hasta pugnabant, quod telum levius pilo, à quo *Triarii* proprie *pilani* dicti. Unde & qui ante hos instruebantur in acie, *antepilani* appellabantur tam *Principes* quam *Hastati* quia ante eos pugnarent qui *pila* habebant. Polybius armis ita ea genera distinguit, ut velutibus γαστήρας tribuat id est *gasta*. Male *hastas* vertunt eruditissimi viri. Nam *hasta* proprie *Hastatorum*, unde illis nomen, Hasidem Polybius ὡστὺς appellat. Iidem duo summi viri *pila* reddiderunt. Cur igitur *Hastati* dicti qui *pila* gererent? *Triariorum* tela ab eodem Polybio vocantur δόρατα. *Hasta* sunt Lipsio & Casaubono, mihi *pila*. πλὴν ἀντὶ τῶν ὡστῶν, inquit Polybius, de *Triariis*, οἱ περιεχόμενοι τὰ δόρατα φορεῖσι, *Nisi quod probastis Triarii gerunt pila*. Verte ut illi viri docti fecerunt, contrariam veræ interpretationem edideris, *Nisi quod propilis Triarii ferunt hastas*. Vices sane veræ sic essent. *Hastati* dicerentur qui *pila* gestarent, & *Pilani* qui *hastas*. Sed hæc alibi latius demonstrabuntur. *Triarii* igitur proprie *pilani* quia soli *pilis* pugnarent. Unde & *Antepilani* tam *Hastati* quam *Principes* appellati quod ante *Pilanos* pugnarent. Eodem modo & *antesignani* vocati sunt quod locarentur in acie ante signa *Triariorum*, qui aquilam & signa legionis καὶ ἐξοχήν sic appellata obtinebant. Hoc innuere videtur Livius lib. VIII. Hoc triginta manipulorum agmen *Antepilanos* appellabant quia sub signis jam alii quindecim ordines locabantur. Reddit rationem cur *Hastatis* & *Principibus* nomen *Antesignanorum* hæserit. Quæ constaret, si scripsisset, quia sub signis jam alii quindecim ordines locabantur, qui *pila* ferunt. Unde enim *antepilano*rum appellatio nisi quod ante *pilanos* locati sunt, & post

post eos *Pilani*? Sed cum de signis tantum loquatur, apparet legi apud eum debere: *Hoc xxx manipulorum agmen, Antesignanos appellabant, quia sub signis jam alii quindecim ordines locabantur.* Ergo liquet *Hastatos & Principes antesignanos* appellatos quod post eos signa *Triariorum* locarentur, apud quos *Triarios* signum præcipuum ac proprium legionis, aquila nempe, portabatur. Sic *antesignani* dicti sunt *Hastati & Principes* non respectu propriorum signorum, nam & isti sua habebant, sed ratione *signorum* quæ penes *Triarios* erant. Eodem modo & *Antepilani* appellabantur *Principes & Hastati*, propter *Triarios*, qui sequebantur, & qui proprie *pilani* dicebantur quia *pila* gererent. Polybius enim etiam *Principibus* dat *hastas*, non *pila*. Nam cætera similiter armatos *Principes & Triarios* proponit nisi quod pro hastis *Triarii* *pila* gererent: οἱ δὲ αὐτοὺς τρόπος τῆς καθολώσεως ἐστὶ καὶ πρὸς τοὺς περικύπτους καὶ τριάρχους, πλὴν ἀντὶ τῶν ὁσῶν οἱ τριάρχοι δόξαται φορεῖν. Soli ergo *Triarii pilani* quia *pila* gestabant cum tam *Hastati* quam *Principes* hastis uterentur. Ita eos distinguit Varro lib. iv. de L. L. *Hastati*, inquit, *dicti qui primi hastis pugnabant, Pilani qui pilis.* Et paulo post *Pilanos* eisdem cum *Triariis* facit: *Pilani, Triarii quoque dicti.* Ergo *Antepilani Hastati* pariter & *Principes* appellati, quia ante *Pilanos* id est *Triarios* pugnabant; iidemque *Antesignani* cum *Antepilanis*. Solet idem Polybius res Romanas Græcis vocabulis convenientibus & id quod sonant recte exprimentibus significare. Si velites suo ævo *antesignani* appellati essent, ut postea commutata re militari nomen hoc illis aptatum est, sine dubio id expressisset Græca aliqua notatione, cum pluribus eos insignitos faciat. Nam *χεοφομάχης* appellat, à telo quo utebantur. Vocat & *ὠζώνης* quod expediti essent & leviter armati. Interdum & *περικινδυνόουλος* absolute nominat, quia cum primi hostem lacefferent, pro cæteris & ante cæteros periclitabantur. Insignis de his locus est apud Polybium lib. xii. τῶ δὲ ὠωνύμῳ ἢ τῷ ὠζώνων ἐπὶ σβαρῶς τῆς πλεμίοις. οἱ δὲ περικινδυνεύοντες τῷ ῥωμαίων προσλαβόντες πρὸς τοὺς πεζῶν στρατηγῶν ἐφεδρεῖαν, ἐκ μετὰβολῆς ἐνέκριντο τῆς ὑπερανέμοις. *Lavo ipse cornu cum velitis ferociter in hostes invehctus est. Ipsi vero velites qui primi solent pralium capeffentes periculo pro reliqua acie objectari, ubi legionariorum presidio se firmatos viderunt conversi protinus,*

ætate *antesignani*, levis armaturæ pedites, qui in velitum antiquorum locum successerant. Quinimo ipse Varro *velites antesignanos* versu quem ante citavimus, appellat. Et sane tunc ante vera ac propria signa legionis pugnabant, quæ in prima acie præferbantur, cum antea ea signa à *Triariis* in postrema acie postari solerent, atque ideo qui in prima ac secunda acie pugnabant, *Haſtati & Principes*, *antesignanorum* nomine vocabantur ab eadem ratione. Hæc verissima sunt, & nemini adhuc explicata. Quid mirum, cum & ipsi antiquiores scriptores, quod alia militandi arte uterentur, veterem ac desitam parum assequuti sint? Ipse Livius qui alibi tam diserte notavit *antesignanos* in vetere militia vocatos *Haſtatorum & Principum* manipulos, quos à velitibus discrevit, ab aliis locis quamplurimis *antesignanos* illos præcos ac legionarios cum suæ ætatis *antesignanis* confundit, qui iidem erant cum velitibus vel levis armaturæ peditibus. Quid enim aliud hæc sibi volunt, aut unde illi nata nisi ex hac confusione cum scribit? *Casos Haſtatos Principesque, stragem & ante signa & post signa factam, Triarios postremo rem restituisse.* Si strages & ante signa ac post signa facta, non potuerunt ab ea illæsi & intacti esse *Triarii*. Nam si *antesignani* tum dicebantur *Haſtati & Principes*, ita dictos omnino constat quod ante signa pugnarent, nimirum ante signa *Triariorum*. At ipsi igitur *Triarii* post signa pugnabant, nempe propria. Si nondum illi consurrexerant, & postquam consurrexerunt, rem restituerunt, quomodo post signa strages facta videri potuit, quæ etiam *Triarios* profligasset, qui post signa pugnabant, atque ita *postsignani* revera erant ac dicebantur, ut *Haſtati & Principes* fuere *antesignani*? Sed ex usu ille loquutus est sui temporis quo versa militia in prima acie & ante signa dimicabant omnes *Principales milites*, & primi principesque ordines, & omnes voluntarii honestiores, quos *Principiorum* nomine vocitabant. Cum igitur illo sæculo *antesignani*, id est ante signa pugnantes, primam aciem constituerent, conſequebatur inde ut cæteri milites qui in ordine pugnabant, & post signa quique sua, *postsignanorum* appellatione insignirentur. Ubi ergo & ante signa & post signa strages edita erat, nihil integri aut salvi supererat, *antesignanis & postsignanis* prostratis & interneccione deletis. Idque tam in vetere militia quam in nova obtinuisse dicendum.

Nam

Nam in vetere militia *antesignani* dicebantur *Hastati* & *Principes*, *Triarii* vero *postsignani*. Non potuit itaque strages facta tum videri antesigna & post signa nisi prostratis pariter tam *Triariis* quam *Principibus* & *Hastatis*. Quid ergo sibi vult Livius, commemorando *stragem ante signa & post signa factam, & postremo rem à Triariis restitutam*? In nova vero militia cum ante signa pugnarent tam leves armaturæ quam *Principia* exercitus & summi ordines, etiam tum exercitus instructus dividebatur in *antesignanos* & *postsignanos*. Omnes enim qui ante signa pugnabant, primam aciem constituebant & *antesignani* erant, cæteri *postsignavi*. Nihil ergo in acie reliquum præter *antesignanos* & *postsignanos*. An etiam *subsignani* fuere ut placitum viro docto? Hic sane instructum exercitum in *antesignanos*, *subsignanos*, & *postsignanos* dividit. Sed quidam illi *subsignani*? Ut velle ille videtur, ii erant qui in secunda acie pugnabant, quam ex loco Livii colligit præcipua & plurima signa habuisse. Quæ nihil omnino veri continent. Quod *subsignanos* putat dictos qui secundam aciem tenebant, & *postsignanos*, qui postremam, id refellitur à Frontino qui *postsignanorum* aciem secundam fuisse diserte dicit his verbis quæ in editionibus corrupta, lib. II. Stratagematum, cap. III. de acie ordinanda sic corrigenda sunt: *Tum postsignanis qui in acie secunda erant præcipit, ut densos numerososque palos firme in terram defigerent*. Vulgo legitur *prosignanis*, quos perperam pro *antesignanis* accipiunt. Nam quomodo *antesignani* in secunda acie? Atqui paulo post etiam *antesignanorum* meminit: *Appropinquantibus quadrigis antesignanos in secundam aciem recepit*. Certe *subsignani militis* meminit Tacitus. Sed an ille *subsignanus* miles intelligendus qui in secunda acie consistit? Nihil minus. Omnis exercitus qui ordinatim incedebat, sive in agmine esset, sive in acie, *sub signis* ire & esse dicebatur. Ergo *subsignanus miles*, omnis qui sub armis incedit, & ordinatus ad agmen sive ad aciem sua signa sequitur. Et *subsignanus* in genere idem quod *postsignanus*, quia signa præbant, milites sequebantur, ut infra pluribus confirmabimus. Añnius Pollio in Epistola ad Ciceronem: *Antonium turpiter Mutina obsidionem reliquisse, sed habere equitatum, legiones sub signis armatas tres, & P. Vagienum unam, incrementis bene multos*. Cicero ipse ad Atticum lib. XVI. Epist. VIII.

An.

Antonium cum legione Alaudarum ad urbem pergere: *pecunias municipiis imperare: legionem sub signis ducere.* Plautus in Pseudolo: *Omnes ordines sub signis ducam.* Nihil est quod frequentius in veterum scriptis occurrat. *Subsignari* igitur milites qui sub signis armati ducebantur, & præcipue in agmine. Inde *subsignarius* miles Tacito. At *postsignari* magis in acie. Nam ratione *Antesignanorum* ita dicebantur. Horum ipsorum alia nominis ratio, & alia ordinatio in vetere militia quam in nova. Frontinus in secunda acie collocat *postsignanos* loco quem paulo ante adduximus: *postsignanis qui in secunda acie erant, imperat.* Verus autem militia *antesignanos* etiam in secunda acie collocatos vocabat. Nam tam *Hastati* qui in prima, quam *Principes* qui in secunda acie consistebant, *antesignani* antiquitus, si Livio creditur, appellabantur. Ergo soli *Triarii postsignani* nuncupati. Quos etiam ideo in postrema acie reponit Ammianus, lib. XXI. *Cum ad alios postsignanos in acie locatos extrema venisset.* Non legimus tamen apud veteres qui sub libera Republica scripsere *Postsignanos* appellatos *Triarios*. Sic enim dicti forent, quod post signa *Principum* & *Hastatorum* in pugnam prodire soliti essent. At non proprie signa illa censebantur legionis, sed ea tantum quæ penes *Triarios* erant. Atque inde *antesignani* vocati *Hastati* & *Principes*, quod ante signa legionis quæ *Triarii* obtinebant, in acie ponerentur. Et cum *antesignani* eo tempore essent in acie, nulli tamen erant qui dicerentur *postsignani*. *Antesignani* illi sub signis suis ibant, & ante signa *Triariorum*, quæ legionis habebantur propria ac vera signa. Illa differentia *Antesignanorum* & *postsignanorum* nata demum est post novatam militiam. Cum enim ut plurimum binæ acies ordinari solerent, & duplici acie decertarent, prima acies erat *antesignanorum*, secunda *postsignanorum*, quæ & postrema erat cum duæ tantum essent. Si tres constituerentur, etiam secunda *postsignanorum* dicebatur, sola prima *antesignanos* habebat. Et sic nuncupari tum mos fuit non qui sua signa haberent sub quibus in prælium exirent, sed qui pro signis pugnarent. Livius ergo confudit *antesignanos* sui sæculi, cum *antesignanis* præcæ Reipublicæ. Sic enim scribit lib. XXII. *Tum sibi unusquisque dux adhortatorque factus, & nova de integro pugna exorta est, non illa ordinata per Principes Hastatosque & Triarios, nec ut pro signis antesignanos, post signa alia pugnaret*

ret acies, nec ut in sua legione miles aut cohorte aut manipulo esset; Sors conglogabat, & animus suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat. Quis non videt qui ea teneat quæ supra observata nobis sunt hæc scripta esse omnia à Livio ætatis suæ ordinationem ante oculos habente, nihil vero cogitante de antiqua? Primum *Principes* ante *Hastatos* nominat inverso ordine, ex vi nimirum nominis, quia sic dictos putavit quod *Principes*, id est primi pugnarent. Atqui, ut jam ante diximus, perpetuo more ordinandæ aciei illius sæculi *Hastati* ante *Principes*. Nec enim *Principes* illi appellati quod primi in prælium progredierentur, sed quod primi ac præcipui essent corporis viribus ab ætate virili firmatis, cum *Hastati* juniores essent, *Triarii* seniores, ipsi autem inter utrosque mediæ, robore atque ætate firmata *Principes*. Ævo autem Livii *Principes* dicebantur, quos minus illustres sumptos in militia tradit Varro. Levis nempe armaturæ pedites, qui ante aciem primi ad præliandum procurrerent, quos & *πρωθυμιοὺς* & *πρωτογυμνους* vocat Polybius. Eisdem & *antesignanos* legionis Cæsar appellat. Hunc eundem errorem commisit auctor ille à quo Vegetius accipit lib. III. c. XIV. ubi docet quomodo acies debeat ordinari. *Instructionis*, inquit, *lex est ut in primo ordine exercitati & veteres milites collocentur, quos antea Principes vocabant. In secundo ordine circumdati cataphractis, nec non optimi milites cum spiculis vel lanceis ordinantur, quos prius Hastatos vocabant.* Hæc falsa omnia. Non enim *Principes* veteris militiæ in prima acie collocabantur, sed in secunda. Nec veteres & exercitati milites eo tempore quo per *Hastatos*, *Principes*, & *Triarios* pugnatum est, in primo ordine collocari soliti, sed in postremo. Eiusdem generis est & erroris, quod idem Livius lib. VIII. *Principia* appellat primam aciem Latinorum qui iisdem tunc ordinibus atque eadem aciei instruendæ ratione cum Romanis utebantur: *Vbi Triarii consurrexerunt integri resurgentibus armis, nova ex improvise orta acies receptis in intervalla ordinum antepilans, clamore sublato Principia Latinorum perturbant, hastisque ora fodientes primo robore militum cæso per alios manipulos velut inermes prope intactæ evasere.* Videtur enim *Principia* hîc vocare, primam aciem Latinorum ex usu sæculi sui, quomodo & Tacitum supra loquutum ostendimus in hæc verba: *Primani stratis Vna et vice simanorum Principiis aquilam abstulere.* In illis

Prin-

Principiis robur exercitus constitutum Taciti ætate ac Livii, non vero ea ætate quo prælium illud commissum inter Romanos & Latinos descripsit. Posset videri tamen Livius eo loco per *Principia* intellexisse non primam frontem aciei quæ ab *Hastatis* teneri tunc temporis solebat, sed ipsam *Triariorum* aciem. Nam paulo ante dixit, Latinos cum vidissent ducem Romanorum *Accensos* excitavisse à novissima acie, ut ante signa præliaturi procurrerent, putassentque *Triarios* illos esse quos suscitaverat Romanus imperator, idem quoque fecisse à sua parte, ac *Triariis* suis ut confurgerent imperasse. Hi aliquandiu pugna atroci cum & semetipsos fatigassent, & *hastas* præfregissent; & debellatum jam rati pervenissent ad extremam aciem, tum consul *Triariis* præcepit ut integri adversus fessos confurgerent. Ergo *Principia* Latinorum eorum *Triariis* dixit. Alio loco eodem sensu videtur usurpasse vocem *Principia* de ultimis nempe aciei ordinibus qui tunc erant *Triarii*. Sic enim scribit lib. III. *Postero die Fabius non permistam unam sociorum civiumque, sed trium populorum tres separatim acies circa vallum hostium instruxit. Ipse erat medius cum legionibus Romanis. Inde signum observari jussit, ut pariter & socii rem inciperent referrentque pedem si receptui cecinisset. Equites item suæ cuique partipost Principia collocat.* Equites hîc qui post *Principia* suæ cuiusque partis five aciei tam sociales nimirum quam cives collocantur, non ante primam aciem collocati debent intelligi, sed post ultimam, quæ fuit *Triariorum*. In aliis quidem præliis, quæ æquo campo gerebantur, equites ante primam aciem poni solebant, sed in hac acie quæ circa vallum hostium instructa procedit ad eorum castra oppugnanda equites in prima acie & ante primos ordines pugnantes inutiles prorsus fuissent, & impedimento potius quam usui. Ubi enim fossæ trajiciendæ, vallum transcendendum aut subruendum diripiendumque, hoc pedites faciunt non equites. Ergo equites post *Principia* suæ cuique parti collocati, post ultimos nempe ordines ac *Triarios* constituti sunt intelligendi. Idem tamen lib. II. *Principia* videtur appellasse primæ aciei ordines, his verbis: *Volscum primo impetu perculit, quamquam cessere magis quam pulsi hostes sunt, quia à tergo erant clivi in quos post Principia integris ordinibus intus receptus fuit.* Hostis Volscus contra Romanum acie instructa consistens à tergo clivos habuit in quos se tuto re-

cipere posset è fuga. A Romanis eo prælio perculsi, cessere potius quam pulsi sunt, & tutum receptum in illos clivos qui à tergo ipsorum erant, habuere. Soli primi ordines eorum qui in fronte pugnabant turbati sunt impressione Romanorum, at postremi qui clivis propiores fuere, integri pervenere ad eos colles in quos tutus illis receptus fuit. Cum igitur dicat *postprincipia* integris ordinibus tutum habuisse receptum, per illos *ordines* qui salvi se receperunt non alios quam postremos intelligere potuit. Ergo *principia* post quæ ordines illos fuisse scribit de prima acie & primis ordinibus dixerit. Sic modo *Principia* de prima acie, ut suo tempore vocabantur intellexit, modo de postremis & *Triariis*, ut antiquè tempore militiæ accipiebantur. Ita alibi *Principes* antè *Hastatos* pugnam ait committere quia *Principes* dicebantur tunc temporis qui primi ante signa dimicarent, ut Græcis ἡγούμενοι & πρῶτοι; alibi ex usu ac more rei militaris antiquæ post *Hastatos* eos collocat. Puto tamen eo loco legendum, *Quia à tergo erant clivi in quos Principiorum integris ordinibus tutus receptus fuit*. Mutata lectio est ab illis qui putarunt *Principia* semper usurpata apud Romanos pro primis aciei ordinibus, & primo loco pugnantibus. *Principiorum* ordines sunt *Triariorum*, & aliorum *principalium* militum ordines, qui in ultima acie pugnam inibant. Cum acie averſa primi essent fugientium ut postremi erant pugnantium, ideo integris & imperturbatis ordinibus salvi ad clivos quos à tergo habebant pervenerunt. In priore autem loco ubi describit pugnam Latinorum & Romanorum, qui sunt illi quos cæſo primo robore virorum qui in *Principiis* erant locati, perruptos velut inermes ac pervasos ab *Triariis* Romanis scripsit? Fortean intellexerit Aecensorum & Rorariorum manipulos quos in postremam aciem reſectos in utroque exercitu, post tergum *Triariorum* ibidem fuisse perhibet. Si ita, est nihil sane ibi peccavit Livius qui *Principia* in *Triariis* posuit, ut fuerunt antiquæ militiæ recepto more. Sed hinc differentia veteris ac novæ magis eluceſcit, cum *Principia* antiquitus in postrema acie locum acceperint, in nova primum, & ante signa ipsa. Hic vero non potest purgare se quin ordinem inverterit nominando prius *Principes*, quam *Hastatos*. Deinde quod addit, *nec ut in sua legione miles, aut cohorte, aut manipulo esset*, omnino ad militiam sui temporis respexisse censendus est. Nec enim Polybia-

na

na militia noverat diversas *cohortes à manipulis*. Quinimo discrete idem Polybius *μπαλίων manipulum*, & *αὐτοὶαὶ cohortem* synonyma esse affirmat. Præterea hoc quoque novæ & quæ tempore Livii invaluerat ordinandi artis fuit, non antiquæ, ut in sua legione miles, in sua cohorte, & in suo manipulo esset. Nam ita per cohortes ordinabatur in acie instruenda legio, ut unius legionis cohortes conjunctim & continenter explicatæ disponderentur. Non ita in vetere quæ Polybii ævo obtinuit. Nam si ex pluribus legionibus constaret exercitus, omnes legionum illarum *Hastati* in primam aciem ordinandi conveniebant, omnes *Principes* in secundam, & omnes *Triarii* in tertiam ac postremam. Non igitur in illa ordinatione fieri poterat, quod scribit Livius, etiam si nulla perturbatio incessisset, ut in sua legione miles, aut cohorte, aut manipulo esset. Nam ratio ordinandi quæ tunc in usu erat, ut dixi, omnium legionum *Hastatos* simul posuit, & omnes *Principes* & omnes *Triarios* una disposuit acie. Sed nec locum habere tum potuit quod ibidem adstruit, ideo non fuisse ordinatam per *Principes*, *Hastatos*, & *Triarios* pugnam, quia nec pro signis *antesignanus*, nec post signa alia pugnaret acies. Hoc enim volunt ista: *Et nova de integro pugna exorta est, non illa ordinata per principes, Hastatosque ac Triarios, nec ut pro signis antesignanus, post signa alia pugnaret acies*. Ergo ex sententia illa Livii cum per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* ordinabatur pugna, *antesignani* ante signa pugnabant, & post signa alia acies. Quænam illa? secunda an postrema? Atqui cum pugna ordinabatur per *Hastatos* & *Principes*, ipsi *Hastati* *Principesque antesignani* vocabantur ut ipse alibi dixit, & prima secundaque acies ex istis *antesignanis* instruebatur. An ita intellexit Livius? Et aliam aciem quæ post signa pugnabat de *Triariis* accepit? Si ita sensit nihil est quod illi succenseamus. Sed apparet in alia sententia fuisse, & militiam sui ævi spectasse cum illa scriberet. Nam & lib. xxx. in pugna Scipionis & Hannibalis describenda *antesignanos* ab eo dictos autumat quod ante sua quique signa collocarentur. Quod de *antesignanis* veteris militiæ falsum est, de novis verum. Nam *antesignani* legionis ante signa legionum suarum collocabantur, & cum *Principiis* ejusdem legionis primam aciem efficiebant. Veteres autem *antesignani* ideo sic vocabantur, quod anteponerentur signis legionis, id est manipulis *Triariorum*. Ipsi autem

sua sequebantur signa. Novo ordinandi more instructus exercitus dividebatur in *antesignanos*, & *postsignanos*; in *Principia* & *postprincipia*. Non idem in vetere ordinatione receptum. Nam *Principia* in postrema acie antiquitus erant, non in prima ut observatum postea. *Postprincipiorum* vero locus dabatur Accensis & Rotariis ac Velitibus qui à novissimo agmine per intervalla præcedentium manipulorum emissi promicabant ante signa, & ibi pugnam edebant priusquam acies concurrerent.

C A P. V.

De antiqua & nova ordinanda apud Romanos aciei ratione, & utriusque differentia, ac primum de antiqua.

VT melius autem percipi, clariusque perspicui queant, quæ supra exposita sunt, breviter atque ordine hic exponemus antiquam novamque aciei instruendæ apud Romanos rationem. Prima & antiqua procedebat per gradus ætatum, hoc discrimine adhibito non solum in legione in partes suas distribuenda, sed etiam ubi acie decertandum esset, in exercitu ad prælium ordinando. Quatuor erant ætatis gradus, & totidem legionis principales partes, totidemque acies, nisi quod qui primi pugnam auspicabantur levis armaturæ pedites sive Velites, non separatam aciem constituebant, quamvis ante acies omnes pugnaturoi procurrerent. Nec solum in delectu faciendo & legionibus conscribendis rationem ætatis habuerunt, sed etiam census, ut inde quatuor illa militum genera diversa exirent quibus tam legionis in partes distributio, quam aciei ordinatio discriminabatur. Maxime juvenes, sed & maxime pauperes deligebantur qui ordinem velitarum facerent. Minus deinde inopes, & minus juvenes designabantur ad manipulos *Hastatorum* implendos. *Principes*, qui sequerentur ætate jam firmata vigentes, qualis est virilis, sumi solebant. Ætate proveciores & censu magis idonei *Triariorum* ordinem conficiebant. His discriminibus ab ætate & censu factis tota legio discernebatur, & in acie, cum prælium committendum esset, eodem ordine pugnam inire consueverant, & in agmine incedere, & in castris metationem habere. Falsum igitur est quod olim scripsit Scaliger in Epistola Gallica ad Thuanum, hæc

hæc nomina, *Hastatorum, Principum & Triariorum* ad *maximū* tantum pertinuisse, atque iis locum extra aciem non fuisse. Nullos enim in Romano exercitu *Hastatos*, aut *Principes* aut *Triarios* vocatos esse, nisi cum acies ad pugnam instruerentur. Quem videtur errorem ex eo hausisse quod apud scriptores Romanos qui post Cæsarem vivere, & in ipsis etiam Cæsaris scriptis, nulla *Hastatorum & Principum*, aut *Triariorum* extet mentio, cum tamen pluribus locis aciei instructæ faciant mentionem, quam & describunt quomodo instructa sit. At hoc ipsum magis debuit eum advertere Cæsaris ævo & sequentium auctorum ne *maximā* quidem hæc fuisse vocabula quia jam hæc ordinandæ aciei ratio exoleverat. Antiquæ autem Reip. temporibus non solum acies ordinatæ per *Hastatos Principes* ac *Triarios* leguntur apud auctores qui res eorum temporum gestas litteris mandarunt, sed etiam cum eruptio ex castris facienda est, *Hastati & Principes* erumpunt in hostes, *Triarii* ad custodiam castrorum relictis. Nam sæpe legitur apud auctores qui veteris ac liberæ reipublicæ negotia scripserunt, *Triarios* pro præsidio in castris mansisse, cum *Principes & Hastati* in prælium exirent. Apud Polybium etiam habemus in descriptione militiæ Romanæ, non solum per *Hastatos & Principes Triariosq;* acies ordinari solitas, sed etiam in castris *hastatos* omnium legionum simul fuisse metatos, & *Principes* similiter & *Triarios*. Miror itaque viro doctissimo eam sententiam excidisse quæ revinci potest tot ac tam claris probatissimorum auctorum testimoniis. Ab ætate & à censu deligebantur cum legio conscriberetur qui in eadicerentur ac essent *Velites*, qui *Hastati*, qui *Principes*, & qui *Triarii*. Primi ergo *Velites* pugnabant, sed nec in manipulos structi, nec sub signis ordinati, ac levissime armati, nec in acie propria ac peculiari constituti. Provolabant ante signa ab extremo agmine emissi per intervalla ordinum quibus manipuli inter se distabant. Si premerentur ab hoste, ac præverti possent, per eadem intervalla manipulorum quibus emissi fuerant retro ferebantur, ac rursus se post tergum *Triariorum* qui in ultimo erant agmine, recipiebant. Si validius urgerentur, nec tempus illis daretur quo ad intervalla ordinum subsequendum receptum sibi parare possent, ad latera utrimque diffugiebant. Hic sensus est. verborum Polybii ex lib. xv. quem miror à doctissimo ejus

• inter-

interprete non satis fuisse perceptum. Sic enim scribit Græcus auctor : πὲρ δὲ διαστήματα τῶν πρώτων σημαιῶν ἀνεπλήρωσε ἢ τῶν ὁμοφώνων ἀφαιρέσει, ὡς ἀγγέλους τέτοις προκινδυνώσῃν, ἐὰν δι᾽ ἐκβιάζων) καὶ πλὴν θηρίων ἵφθοδον ἀποχωρεῖν τὰς μὲν κατὰ τοῦ χουῦτος διατῆ ἑπὶ ὁρίαιας διαστημάτων εἰς τὰ πίσω τ᾽ ὅλης διωάμεως, τὰς δὲ περικαταλαμβάνομένους, εἰς τὰ πλάγια περισσεύει καὶ τὰς σημαίας. Quod in illa pugna factum est propter elephantos quos plures in acie habebat Hannibal, hoc in aliis fieri solebat propter equitatum hostium, si eo prævalerent. Sic igitur ea verba verti debent: *Intervalla primorum manipulorum, implevit manipulis velitis, dato præcepto ut ad pugnam dum procurrerent. Siurgerentur, & impetum elephantorum sustinere non possent, ut recederent, qui ex his celeritate præverti possent per intervalla in directum patensia inter ordines, post omnes acies. Sin autem præventi ac deprehensessent, ad latera manipulorum utrimque se sisterent. Quæ satis recte expressit Livius vertendo: dato præcepto, ut ad impetum elephantorum aut post rectos refugerent ordines, aut in dextram lævamque applicantes antesignanis viam qua irruerent in antipitia tela belluis darent. Non satis tamen fuit illi dixisse, aut post rectos refugerent ordines. Nam & ad latera diffugiendo poterant post rectos ordines se sistere. Addere ergo debuit quod expresse à Polybio dicitur, καὶ τῶν ἐπὶ ὁρίαιας διαστημάτων, per intervalla in directum patensia. Præterea omisit quod præcipuum erat; Latinus auctor, à Græco maxime signatum. Qui celeritate præverti possent impetum belluarum, iis per intervalla manipulorum refugiendum esse, & post aciem universam consistendum. Quibus spatium non esset datum ad intervalla se recipiendi, ut pote præventis ac pæne deprensis à belluis, eos ad latera utrimque recedere debere juxta manipulos. Postremo non illo tantum altero modo quo ait Livius, via dabatur irrudentibus in antipitia tela belluis, si ad dextram lævamque discursu applicassent se refugientes velites manipulis antesignanorum, sed etiam priore quo celeritate usi, se post ordines recepissent, per ipsa intervalla ordinum. Vide quanti sit auctorem quem intelligendum aliis dare velis, te ipsum intelligere. Quod non fecit Casaubonus qui sic reddidit: *Partim qui celeritate possent alios prævertere, per vias rectas inter manipulos patentes pone aciem universam, partim qui circumfuso hoste comprehendi metuerent in dextram sinistramque iis se**

applicarent intervallis quæ essent inter signa. Quomodo hoc potuerit fieri, non video, ut nimirum interioribus lateribus manipulorum refugientes adhæserint, & non eorum intervalla compleverint. Nam & quando inde excucurrerunt, ea complebant. Quomodo igitur viam dedissent irruentibus belluis per intervalla, si ea rursus retro cedentes constipassent? De exterioribus ergo lateribus accipi debet, ut verba ipsa Græca indicant, & mens auctoris rei que ipsius ratio postulat. Deinde quo pertinet quod in versione posuit, *partim qui celeritate possint alios prævertere?* Quinam illi alii? An alios habuere prævertendos quam hostes, hostium nempe equites vel elephantos? Et hos magis, nam de his sermo quos in fronte collocaverat Hannibal ad perrumpendos Romani militis ordines. Atque hæc obiter. Nam sciri interest non magnopere prodesse ad Polybium interpretandum summam Græcæ linguæ peritiam nisi conjuncta sit cum rei militaris veterum Romanorum cognitione æque summa. Locus velitis consistendi fuit inter ordinum intervalla, quæ ad hoc relinquebantur, aut post omnes ordines. Locus pugnandi, spatium vacuum ante aciem primam. Pugnæ genus, excursio & subinde receptus vel fuga sine probro. Arma, jacula ac levia tela missilia. Nomen ab armatura *χοσφόμαχοι* vel *πεζακονηται*, à jaculorum genere *pedites jaculatores*: & *εὐζωνοι*, *expediti*. Græci Τακτικοὶ ψιλὰς appellant in genere. Sed de Romanis hîc agimus & iis appellationibus quibus eos donavit Polybius. Aliud illis nomen ab ipso loco in quem pugnaturi excurrerant, *περίτακτοι*, *περίταγμαῖνοι*, *περικινδυνόοντες*: quia ante acies omnes prælium committere solebant, non stataria pugna nec pede collato, sed velitationibus eminus factis, & *ἀκροβολισμοῖς*. *Nec antesignani* tum dicti sunt quia *antesignani* antesignanorum fuissent. Nam qui eos subsequerantur acie instructa prælium sumpturi vocabantur tunc *Antesignani*, tam qui in prima acie quam qui in secunda consistebant. Cæterum velites isti antiqui nec in manipulos diducti, nec sub signis ordinati pugnabant, nisi si cum vexillis præmitterentur eorum manipulorum quibus erant attributi. Non enim corpus separarum in castris vel in legione faciebant, sed distributi pro rata portione in reliquorum generum manipulos, non alios habebant ductores, quam centuriones eorum ordinum quibus erant assignati,

gnati, si quando cum vexillo præmitterentur ad hostes laceffendos & provocandos. Nam & *αείρας* τ̃ *χροσφομάχων*, *manipulos velitum* nominavit Polybius in pugna Scipionis & Hannibalis. Si *αείραι* eorum aliquæ fuere, id est *manipuli*, ductores etiam habuerint oportet & vexilla, sed ea quæ diximus. Post sequebantur acies legitimæ gravis armaturæ ac legionarii militis, pede collato rem gesturæ. Prima ex *Hastatis* constabat, junioribus quidem istis, sed ætate grandioribus quam erant velites. Scutati hi omnes, cataphractis muniti, hastis, unde & nomen, pugnantes. Hoc telum manu mittebatur, non comminus immittebatur à retinente. *ύσδον* vocat Polybius. Nec *pilum* est, ut summi in literis viri opinati sunt, sed *hasta*. *ύσδς* etiam dicebatur, ut *ύσαξ* & *ύσαξ* idem est, quod inde derivatum est. A Græca voce *ύσδς* Latina *Hasta*. Duo genera ejus facit Polybius, alterum majus, alterum minus. Quod minus erat jaculo venatorio cui Græce nomen *συβώιον*, simile tradit. Quod an pilum possit videri, docti illi viderint. Post *Hastatos* sequebatur acies secunda quam *Principes* componebant, etiam juvenes, sed ætate florentes, & robore, quod ætas dat virilis, præpollentes. Par eorum numerus, & armatura similis *Hastatis*, quamvis à principali robore potius nomen adepti sint. Tam hi quam præcedentes in prima acie *Hastati* dicebantur, si Livio fides est, *Antesignani*. Rationem supra attulimus. Posset & alia afferri, cui & Polybius videtur suffragari. *Antesignani* non quod ante signa pugnarent videntur nuncupati, sed quod prima in hostem signa inferrent. *Antesigna* priusculo vocabulo & recto, prima signa sunt, ut *postsigna* postrema: sic *antemala* pro prioribus malis summus poëta dixit:

--- Nec enim ignari sumus antemalorum.

Sic *antecæna* prior pars cœnæ, quam & *gustus* nomine vocarunt. Item *antepectanni*, fasciæ vel lora quibus anterior pars vestis prætexebatur, quæ Græcis recentioribus *ἀνέπαινα*. Ita ergo *antesigna* priora signa sunt. Inde *antesignani*, primæ ac secundæ aciei milites ab illis *antesignis*. Polybius cum Græcè ea reddere vellet, *πρώτης σημαίας* appellavit, lib. xv. loco quem supra citavimus: πρ̃ δ̃ ε̃ *Διατήματα* τ̃ πρώτων σημειῶν ἀνεπαλήρωσε & τ̃ *χροσφομάχων αείρας*. Livius recte vertit, *antesignanorum manipulos*, id est primorum signorum. Hoc nomine *Hastatorum* & *Principum* signa appellata fuerint,

fuerint, quia paribus armis horum duorum manipuli instructi erant, soli *Triarii* qui *postsigna* tenebant, & *postsignani* forsitan inde appellati sunt, pilis utebantur, ab *hastis* diversis, ut supra indicavimus. Hi ergo postremam aciem constituebant, quæ tertia. Et *Pilani*, ut jam docuimus, dicebantur à *pilis*, quod eorum gestamen fuit. Polybius *δόρατα* appellavit, quæ *pila* sunt, non *hasta* ut perperam acceperunt viri docti. Unde & *ἀξιδραχίζουσι* apud eundem Polybium, *pilis comminus dimicare*. *Hastæ* enim jaciuntur tantum. Hæc proprie Græcis *ἀκόντια*, Latini *lanceas* pro iis postea dixerunt. *Pilis*, id est *δόρασι* comminus res geritur. ἐκ χειρὸς ἑ. χειρὸς ἀξιδραχίζομενοι, ἢ τύποις ἀλλήλων, *comminus ubi ad manus ventum est, pilis dimicantes, & sese invicem cadentes*. Ammonius signanter hanc differentiam notat inter *ἀκόντιον* & *δορυ*, inter *hastam* & *pilum*: *Ἀκόντιον δόρατ' ἀξιδραχίζει. ἀκόντιον μὲν γὰρ τὸ ἀκοντίζομενον, ἑλκισθὸν δόρατ' ἀξιδραχίζει. δορυ δὲ τὸ μείζον, ὃ ἐκ χειρὸς ἐξέρωνται*. Hinc colligere est recte à Polybio *pila Triariorum* qui & *pilani* ex eo dicti, Græce reddita *δόρατα*. Inde & *δορατόφοροι* apud Græcos equitum genus, qui longioribus *hastis* & robustioribus, comminus pugnant, non missilibus. Hi *Triarii* ex veteribus militibus, non solum ætate, sed etiam censu, dignitate, ac gradu militari prioribus ac potioribus. Apud hos aquila legionis signum, & superiores omnes primique castrorum ordines ad quos ab inferioribus *Hastatorum* & *Principum* ordinibus promotiones fiebant. Et quamvis ultimo loco post omnes pugnarent, & tertiam postremamque aciem constituerent, primi tamen loci dignitates omnes militares obtinebant. *Principia* vocat Livius hos ipsos *Triariorum* ordines & manipulos, quia principales totius legionis ductores ac milites haberent, lib. VIII. *Vbi Triarii consurrexerant integrirefulgentibus armis, nova ex improvviso coorta acies receptis in intervalla ordinum antepilani clamore sublato principia Latinorum perturbant, hastisque ora fodientes, primo robore virorum casu, per alios manipulos velut inermes, prope intacti evaserunt*. A *Triariis* Romanorum, *Triarios* Latinorum perturbatos fuisse scribit, quos *Principiorum* nomine appellavit, ob eam quam dixi causam. Inde *postprincipia* locus in novissimo agmine post ipsos *Triarios*, ubi consistebant antequam acies congredierentur, *Rorarii* & *Accensi*, & *Velites*. Et sic interpretanda verba Comici in *Eunucho*

de Milite glorioso qui postquam instruxisset more militari domesticorum agmen, ipse *ex postprincipiis se signum daturum esse* pronunciat. Ita enim loquitur ad parasitum suum: *Tu hosce instrue, Hic ego ero postprincipia. Inde omnibus signum dabo.* Ad quæ verba notavit Donatus, ambigere multos, utrum hic locus *postprincipiorum in extremo sit agmine, an in medio.* Utraque opinio vera est, si ex ratione temporum res explicetur. Nam secundum antiquæ militiæ ordines, *postprincipia* in novissimo agmine. Juxta novum ordinandi morem, in medio consistebant, ut paulo post docebitur.

C A P. VI.

De ordinandæ aciei ratione, quæ in nova militia apud Romanos obtinuit.

EXposita veteris militiæ ordinatione quæ pro discrimine ætatis ac census non solum arma diversa militantibus dabat, sed etiam diversa loca assignabat in quibus pugnarent, & aciei ex eo instruendæ diversam etiam instituerat rationem; jam dicendum. Mutata certe re militari, nemo est qui simile quidquam sub Cæsaribus factum, aut servatum ostendere possit, in militibus legendis, legionibus conscribendis ac distribuendis, atque ex iis instruenda & ordinanda acie, quale observabatur in ea militia quæ sub Scipionibus vigeat, & qualis à Polybio describitur. Hoc novum igitur militiæ institutum exponemus, & eam præcipue illius ab antiqua differentiam quæ pugnantium spectat in acie ordinata collocationem. Non minus autem in hac novitia quam in vetere militia levis armaturæ pedites legitimæ aciei ex gravi armatura constanti anteponebantur, ut primi prælium aspiciarentur, tam ab auxiliis sumptæ leves armaturæ quam ex legionibus. De his præcipue hîc agemus: *Principes* eos appellatos Varro notavit, quia *Principes*, id est, primi pugnarent. Nam Latinis *Princeps* idem quod primus. Ideo *minus illustres sumptos* dicit præ illis qui id nomen habuerunt ante commutatam rem militarem. Quia illi honestioris gradus, ut pote inter scutatos militantes, & gravis armaturæ pars, ex quibus & secunda acies instruebatut. *Antesignanos* eisdem appellavit Cæsar, quia ante signa

signa instructarum in acie peditum prælium committerebant, & diversi in hoc ab *antesignanis* prioris sub Scipionibus militiæ, qui acies componebant primam & secundam. Jam post hos *antesignanos* legionum, sive *Principes*, qui in locum antiquorum *Rorariorum*, *Accensorum*, *Ferentariorum*, & *Velitum* successerunt, sequebantur legitimæ acies ex legionario milite instructæ, sed non eodem modo quo olim ordinatæ, per *Hastatos* qui primam, per *Principes* qui secundam, & per *Triarios* qui tertiam aciem constituerent. Quis in commentariis Cæsaris, vel auctorum qui post Cæsarem res Romanas ac bella conscripserunt usquam reperit ullam aciem triplicem his ordinibus explicatam? Per cohortes instituebantur. Et ex primis singularum legionum cohortibus primæ acies constitui solebant. Saltem à prima quaque cohorte incipiebat prima acies ordinari. In illis primis legionum cohortibus, pedites militabant lectissimi spectatissimique robore, usu, experientia, scientia militari; & stipendiorum multitudine, ex quolibet olim sub nomine *Triariorum* vel *Pilanorum* postrema acies consuevit ordinari. Per hanc novam aciei instruendæ formam primi quique ordines *pilis* armati ibant in hostem, non *hastis* ut ante, cum *Hastati* primi ad dimicandum procederent, & secundi *Principes*, cum *hastis*, sive missilibus telis, non *pilis*. Soli *Triarii* *pilis* in tertio ac postremo ordine pugnabant. Hæc omnino contraria. Arrianus in ordinatione aciei qua usus est contra Alanos: *καὶ αἱ πρώται μὲν πύλαρες τάξιν ἔσωσαν κνήμοφόρων, ὧν δὲ κόντις μακρὰ καὶ σπίλιντα τὰ σιδήρεα πρὸς ἑαυτὴν*. Quaternos primos ordines primæ aciei ex contatis, id est *pila* gerentibus constare ait debere. Quaternos vero sequentes, nam in octonos introrsum aciem patere vult, ex *hastatis* centum instruendos, quos appellat *λογχοφόρος* id est *lancearios*: *αἱ δὲ ἐφεξῆς τάξιν τῶν λογχοφόρων ἔσωσαν*. Reliqui autem quatuor ordines componantur ex lanceariis. Posterius Latinitatis xvum *lanceas* appellavit, quæ *hasta* prius vocabantur. Vegetius lib. i. cap. xiv. quemadmodum acies debeat ordinari; *In secundo ordine circumdati cataphractis, nec non optimi milites cum spiculis vel lanceis ordinantur, quos prius Hastatos vocabant*. Ergo *λογχοφόροι* Arriani, sunt *Hastati* Vegetii, qui *hastas* sive *lanceas* eo ævo dictas gerebant. Certe Tacitus ipse sic appellavit Hist. ii. *direptis sarcinis tabernacula ducis ipsamque humum pilis & lanceis rimantur*,

pro *pilis* & *hastis*. Ita *spicula* dixere posteriores sicut ex pluribus locis ejusdem Vegetii constat, quæ sæculo priore *pila* erant. Unde nostrum *Espeu*, ex *spiclo*. Hoc enim pilum veterum, ut alibi pluribus adstruimus. *Κοντόν* dixit Arrianus, & *κοντόφορος* qui veteribus Romanis *Pilani*. Quidam Grammatici *contum* exponunt *hastam* sine ferro. Et sic etiam vocatur. Sed & longiores *hastas* ac robustiores, qualia erant *pila*, *κοντὲς* Græci vocarunt. Unde *Κοντόφοροι* genus equitum qui ejusmodi contis armati erant, quos *contatos* Latini dixere. Ex octonis porro ordinibus quibus instructa fuit acies Arriani contra Alanos ex binis constans legionibus, quaternos priores ex *pilanis* sive *contatis* compositos scripsit, reliquos posteriores quaternos, ex lanceariis sive *Hastatis*. Cum duæ legiones in ejus exercitu ita ordinatæ forent partim ex *Pilanis* partim ex *Hastatis* constructæ, colligere inde est, dimidiam partem legionis cujusque ex *Pilanis* constituisse, alteram dimidiam occupasse *Hastatos*. At in antiqua legione sexcenti tantum milites *pila* gestabant, cum tria millia peditum *pilata* legio recens ostentaret, altera tria millia *Hastata*. Hinc *pilata* legiones dictæ. Inde illud Lucani de bello civili: *at pila minantia pilis*. Sed quod præcipue ad rem pertinet de qua nunc agimus, quæ locandorum ordinatio est, juxta antiquam consuetudinem *Hastati* in prima acie ponebantur ac secunda, *Pilati* vel *Pilani* in tertia ac postrema. Contraria ordinatio obtinuit in ea militia quæ sub Cæsaribus recepta est. Nam primi ordines *Pilanos* habuere, & postremi *Hastatos*, ut ex Arriano probavimus. Quod & confirmari potest testimonio Frontini qui eodem tempore vixit ac scripsit, cujus etiam scripta de re militari Vegetius in epitomen redegit. Ita scribit ille verbis, ut apparet, Frontini, lib. III. cap. IV. de acie ordinanda: *Instructio hanc lex est, ut in primo ordine exercitati & veteres milites collocentur. quos antea Principes vocabant.* Sed de principibus id falsum jam ostendimus. Sequitur paulo post: *In his duobus ordinibus & ætate maturi, usu confidentes, & muniti etiam gravioribus armis collocantur. Hi enim ad vicem muri, nec cedere, nec sequi alium cogendi sunt, ne ordines turbent, sed venientes adversarios excipere, & stando pugnandoque repellere vel fugare.* Vides non solum gravioribus armis munitos, sed etiam ætate provectiores ac veteres milites in primis ordinibus tum stetisse. Primi autem ordines

dines primam aciem constituebant, & prima acies à prima cohorte legionis incipiebat ordinari, ut idem Vegetius alibi tradit, qui etiam scribit primam cohortem reliquas numero militum, & dignitate præcedere. *Nam genere, inquit, & institutione viros lectissimos quarit. Hæc etiam suscipit aquilam, quod præcipuum signum in Romano semper est exercitu, & totius legionis insigne.* Cæterum antiquitus *Triarii* aquilam suscipiebant, ætate maturi, & dignitate præcipui milites, & qui gravioribus armis muniti erant. Ergo quod *Triariorum* prius fuit, hoc postea primæ cohortis esse cœpit, hæc etiam simul introducta diversitate, ut qui in postremis ordinibus antea pugnare soliti erant, mutata re militari, in prima acie dimicarent. Planum est utrique ex his quæ diximus aliter instituta legionis divisione, & postquam in denas cohortes distribui cœpta est, quæ antiquitus in *Hasstos*, *Principes*, ac *Triarios* dividebatur, *Triarios* in primam cohortem fuisse translatos. Ad hoc enim videtur amplificatus & auctus legionis numerus ut posset in denas partes æquales dispertiri, quarum unaquæq; sexcentos caperet pedites. Sic senum millium facta legio ac ducentorum, cum singulæ denæ ejus partes, sexcentenos continerent pedites, ut universum numerum *Triariorum* qui sexcentenis constabat, una cohors cæteris æqualis accipere posset. Ita ergo in primam traducti sunt quæ reliquas antecedere dignitate atque auctoritate debuit. Sic veteres, & exercitatos, & gravioribus armis instructos accepit. Sic superiores ordines habere cœpit. Sic aquilam suscepit. Sic denique ex numero *Triariorum* qui sexcenti in antiqua legione erant, & tertium corpus ex tribus in quæ dividebatur, constituebant, prima novæ legionis cohors exiit. Ita abolito tantum priore nomine, cæteris omnibus servatis, à postrema acie in primam traducti sunt antiqui *Triarii*. Qui *Hasstati* & *Principes* dicebantur, similiter in cohortes reliquas pro portione distributi sunt. Qui *Velites* fuerant, in cohortibus pariter locum acceperunt & aliud nomen, proque velitibus *antesignani* legionis sunt vocati. Nam, ut ex Cæsare constat, equitibus mixti isti *antesignani*, ut antiqui *Velites*, ante quam acies concurrerent, præliabantur, & ab his pugnæ exordium sumebatur. Alios etiam novit *antesignanos* Adriani ætas, quos & *Campigenos* vocabat, & inter *Principia* legionum numerat Vegetius qui Frontinum compilavit? *Campigeni,*

pigeni, hoc est Antesignani, ideo sic nominati, quia eorum opera, inquit Frontinus apud Vegetium, genus exercitii cresceret in campo. Intelligit decursionem campestram quæ ab armatis militibus fiebat, & sub signis, quæ simulacrum veræ pugnæ edebant. Huic præerant *campigeni* qui & *campidoctores* dicti, qui ante signa procedentes in hac prolusione docebant milites, quo pede in hostem eundum esset, quo pede ab hoste recedendum, quomodo ordines servandi, & signa sequenda, & locus non deferendus, quomodo ad clypeum, ad hastam esset declinandum. Et *campigeni* quidem dicebantur quod campum quasi facerent & gignerent, dum militem imbuunt arte quam in campo, id est in acie, armati ostendere deberent. Inde *armatura ars* appellata. Nominantur & cum tribunis hi *campidoctores*, & cum *Principiis* legionis numerantur, & *antesignani* etiam vocantur ab Ammiano à Vegetio. Hi sunt *antesignani* quos idem Vegetius cum *Principiis* legionis recenset, & gravi armaturæ adnumerat lib. II. cap. II. *Legio, inquit, propriis cohortibus plena cum gravem armaturam, hoc est Principes, Hastatos, Triarios, antesignanos, item levem armaturam, hoc est ferentarios, sagittarios, funditores, ballistarios, item proprios & sibi infitos equites legionarios.* Mire quidem hæc omnia confundit quæ sunt prioris militiæ & posterioris, sed *antesignanos* hîc vocat eos quos diximus *campigenos* sive *campidoctores*, qui & in metandis castris pedaturam militibus assignabant, & ad instruendam etiam aciem adhibebantur, quod hodie munus est atque officium eorum quos *Servientes Batalia* vocant. *Sergents de bataille.* Multum autem diversi hi *antesignani* à Cæsariani ævi *antesignanis*, qui adolescentes erant leviter armati, quiq; antiquorum velutum locum obtinebant, ut jam docuimus. Et procurrebant ad pugnandum, priusquam concurrerent acies. *Antesignani* vero sub Hadriano in prima acie & cum ea pugnabant, ante signa & circa signa cum reliquis *Principiis*. Inde *Principia* illo ævo pro prima acie. Frontinus apud Vegetium lib. I. cap. XX. *Erant autem apud veteres inter pedites qui dicebantur leves armatura, funditores, & ferentarii, qui præcipue in cornibus locabantur, & à quibus pugnandi sumebatur exordium. Sed hi & velocissimi, & exercitatissimi legebantur. Nec erant admodum multi qui cedentes, si pralii necessitas compulisset, inter Principia legionum recipi solebant. Principia legionum in acie ullius* ævi

ævi primum locum obtinebant, ante signa & circa signa, eoque nomine appellabantur sedes ac loca principalium militum tam in castris quam in acie. In castris ubi tribuni, præfecti, primorum ordinum centuriones alique principales milites, ac voluntarii tabernacula habebant, locus ille *Principiorum* nomine nuncupari solebat. Et sic plane accipiendi loci veterum scriptorum apud quos *Principiorum* castrensium fit mentio. Ut cum *Principia missa* dicunt, aut *soluta*. Ea circa prætorium ducis. Unde in eadem significatione dicebatur *prætorium mitti* ac *dimitti*, & *Principia* similiter. In his jus dicebatur. In his signa militaria erant posita. Ubicunque *Principiorum* apud auctores mentio extat, de his *Principiis* intelligi par est. Ab his *Principiis* castrorum & *Principia* in acie dicta. Idem quippe militum genus castrensia *Principia*, & *Principia* aciei constituebant. Tacitus Historiarum lib. II. *Primi stratis Vna et vicesimanorum Principiis aquilam abstruere*. Hic *Principia* sunt, ut & apud Frontinum, primæ aciei primi ordines, aut qui in his pugnabant. Alii eo ipso sæculo *Principes*, nempe iidem cum velitibus *antesignanis*. At postea ut *Antesignanorum* nomen de campidoctoribus acceptum est, iidem etiam inter *Principia* legionis, & cum *Principiis* pugnae locum capiebant. Inde *Principes* & *Principia* confuderunt illius ævi scriptores, quos cum *principiis* & *antesignanis* antiquæ militiæ eosdem fecerunt, cum nihil tam diversum fuerit, ut ex his quæ jam diximus constat. Sed maxima, ut docui, in locatione ordinandorum hæc differentia extitit, olim & postea: quod olim *Principia* pro acie postrema accipiebantur quæ à *Triariis* constituebatur, postea de prima acie id vocabulum sumptum est. *Principia* Livio *Triarii* sunt, vel *Triariorum* acies, cum de antiqua ordinatione agit. At ejus ætate *Principia* erant in prima cohorte, à qua prima acies incipiebat ordinari. Apud Terentium loco quem supra attulimus *Principia* de postremo agmine dicuntur, ubi miles Thraso instructis suis militibus sibi locum post *Principia* sumit, id est post aciem extremam. Qui locus optime conveniebat ignavo ac timido, & verbis tantum forti. Nam qui post *Principia* locatur ubi in fugam agmen convertitur primus fit fugientium, inter pugnantes vero ultimus est. Jam ordinarat Miles dextrum cornu, medium agmen, & sinistrum cornu aciei qualem instrui voluit.

In mediam hac agmen cum velli. Donax,

Tu Simalio in finistrum cornu, tu Syrisce in dexterum.

Post aciem primam ac secundam vel mediam, & postremam instruatam, ipse demum post omnes sibi loco cavet, tutissimo ad pugnandum pariter, & ad fugiendum. Hic erat *post Principia*, id est aciem postremam sive finistrum cornu. Notum quippe est ex Tacticis Græcis dextrum cornu *καλὸν* appellari & primæ aciei instar obtinere, finistrum *κακόν* nomine vocitari, & pro acie postrema haberi. Quod infra pluribus explicabimus. Post finistrum igitur cornu cum sibi locum cepisset miles, Terentius ex more loquendi militari qui apud Romanos tunc in usu fuit, *postprincipia* id appellavit: *Tu hosce instrue, hic ego ero post Principia, inde omnibus signum dabo.* Sanna eum excipit paralitus ejus quod tam bene scisset sibi loco cavere. *Illuc est*, inquit, *sapere, ut hosce instruxit, ipse sibi cavit loco.* Et ridicule respondet mendax & gloriosus miles, *Idem hoc jam Pyrrhum fecitavisse.* Qui ambigebant ætate Donati utrum in medio agmine an in extremo hic locus esset, antiquam ordinationem ignorabant, cum sui ævi instructionem tenerent. Sententia comici postulabat, ut de postremo agmine intelligeretur, repugnabat rei militaris ordo, ut tunc observabatur. Ita ergo dubitarunt. Sed Terentius ex usu ævi sui loquutus est, cum *postprincipia* posuit pro extremo agmine vel acie postrema, quia *Triariorum* hic locus pugnandi tunc erat. At *Triarii* postea transductis à postrema acie in primam, sic *Principia* quoque de postrema acie in primam translata sunt. Inde *postprincipia* dici cœpta sunt de medio agmine vel secunda acie. Hæc de *Principiis* & *postprincipiis* aciei vel agminis. At in castris *Principia*, in anteriore castrorum parte circa tabernaculum ducis, *postprincipia* autem reliqua pars castrorum usque ad portam decumanam. Varro autem *postprincipia* præcipue in castris dici innuit lib. III. de R. R. c. IV. *Ego vero*, inquit, *à principiis quam à postprincipiis, ut in castris, id est ab his temporibus potius quam superioribus.* Sic enim ille locus legendus. Anterior pars & adversa castrorum *Principia* habebat, prætoriam viam, & prætoriam portam: posterior pars eorumdem à tabernaculo ducis usque ad portam decumanam pertinebat quæ fuit avera castrorum porta. Et hanc partem *postprincipia* vocabant. Anterior pars ante *Principia* erat. Sed quia *Principia*

tipia in anteriore parte fuerunt, circa tabernaculum ducis sive prætoris quod *Prætorium* dicebatur, ideo *Principia* pro primore parte dicta sunt. Hinc *Principiis* castrensibus comparantur apud Varronem, tempora proximæ ætatis, *postprincipiis* superiora à parte castrorum posteriore & remotiore. Idem Varro apud Agellium lib. XVI. C. XVIII. de Geometria & aliis disciplinis mathematicis, *Voluptas autem vel utilitas talium disciplinarum in Postprincipiis existit cum perfecta absolutaque sunt: in Principiis vero ipsis inepta & insuaves videntur.* Similiter apud Plautum *Postprincipia* separantur à *Principiis*, cum *Postprincipiorum* nomine intellexerit quæ post fiunt, ut *Principia* sunt quæ prima ordine existunt, & inter ipsa initia agendi. In Perfa:

Atque adopolferme ut quisquerem accurat suam

Sic & procedunt postprincipia denique.

Quæ inde loquutio manavit, ut dixi, quod *Principia* in adversa parte castrorum constituta erant, *postprincipia* in averſa. Sed aliquis hîc dixerit, quomodo in acie *Principia* primores ejus partes constituerunt in vetere militia; si *Principia Triariorum* fuere, qui *post Principes & Hastatos* pugnabant? Certe nec ipsa *Principia* in castris in ipsa porta ad ingressum posita fuere, sed interius ad ipsum Prætorium, ita tamen ut in primore & anteriore parte castrorum numerarentur. Nam Prætorium ducis cum in medio esset, posteriorem & anteriorem partem castrorum quasi dividebat. At in anteriore parte erant *Principia*, ut dicemus infra. Sic quandiu *Principia* aciei penes *Triarios* fuere, non ipsi in prima acie pugnabant, ut *Hastati & Principes*, sed interiorem quasi obtinebant locum cum post eos Accensi & Rorarii in *postprincipiis* starent, post *Principia* nempe *Triariorum*, qui *Principiorum* nomine vocabantur, non quod primi essent, sed quod *Principales* ac præcipui totius legionis. Ita aquila quod signum erat legionis præcipuum semper in *Principiis* & cum *Principiis* fuit, id est cum *Triariis* vel cum illis qui postea locum *Triariorum* obtinere, nempe primarum cohortium in singulis legionibus, militibus. Olim aquila *Triarios* præcedebat in postrema acie dimicantes, postea ante primam cohortem præferri cœpit, ex qua ordinabatur prima acies. Robur legionis penes *Triarios* fuit antiquitus, in prima cohorte legionis postremo positum est. Ergo *Triarii* transierunt in primam cohortem

hortem commutata re militari, sed abolito priore nomine, post quod nec *Hastati*, nec *Principes* in militia locum aut nomen habuerunt. Huic observationi obstat quod mentio reperitur apud Cæsarem *primi Principis*, & *primi Hastati*. Ut lib. I. de Bello civili: *Nostri in primo congressu circiter LXX ceciderunt. In his Quintus Fulginius, ex primo Hastato legionis quatuordecima; qui propter eximiam virtutem ex inferioribus ordinibus in eum locum pervenerat.* Item lib. III. *Hoc casu aquila conservatur, omnibus prima cohortis, centurionibus interfectis præter Principem priorem.* Unde isti, inquit, primus *Hastatus* & *Princeps* prior, nisi ductor ordinis *Hastatorum* primi, & *Principum*? Respondeo ego quærendo, iste prior *Princeps* primæ cohortis quomodo conciliari possit eum antiquæ legionis priore vel primo *Principe*? *Primus Princeps* tum dicebatur qui primum ordinem ducebat in *Principum* agmine, vel primi in *principibus* ordinis centurio. *Principum* corpus in legione divisum erat in decem manipulos, sive ordines, sive cohortes, hoc est *spiras*, ut nominavit Græcè Polybius. At prima cohors legionis, secundum divisionem quæ Cæsaris ætate obtinuit non respondet primæ cohorti *Principum*, juxta antiquam distributionem. Prima quippe cohors Cæsariana sexcenos aut quingenos milites habuit: prima cohors *Principum* Scipionis ævi centum ac viginti tantum peditum fuit. Prima cohors legionis Cæsariæ in tres manipulos dividebatur: prima cohors *Principum*, quales noverat Scipiadarum sæculum, eadem cum manipulo fuit. Denique legio Polybiana in triginta inæquales cohortes distribuebatur, nam cohortes *Triariorum* non erant pares cohortibus *Principum* & *Triariorum*, at Cæsariana in denas tantum cohortes dispartiebatur. Quæro igitur quomodo conveniet primus *Princeps* primæ cohortis in legione Cæsariana, cum primo vel priore *Principe*, qui primus erat centurio *Principum* in legione vetere? Deinde etiam quæro, ubinam Cæsar *Hastatorum*, *Principum* & *Triariorum* meminerit, aut ordinationis exercitus per hæc tria genera fieri solitæ, ut olim fiebat? Cum tot locis, quoties acie decertavit, toties quo genere instructionis usus sit commemoret, aliquo saltem loco meminisset aciei per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* ordinatæ. Quod nusquam fecit. Unde colligere est, & nomina eorum & genera tunc fuisse prorsus obliterata in acie instruenda.

Quod.

Quod *Hastatum primum*, & *Principem priorem* nominavit inter ordines primos, vel primæ cohortis, jam dicam quid rei sit. Nemo nescit etiam temporibus Cæsarianis *primipilum* vel *primipili* centurionem dictum esse qui primum ordinem ducebat in prima cohorte. Atqui *primipilus* ille, olim cum prisca militia vigeret, primus fuit *Triariorum* ordinis centurio. Qui *Triarii* cum etiam *Pilani* dicerentur, ab usu *pili* quod pro telo gerebant, inde etiam obtinuit ut qui primum inter eos ordinem duceret, nomen haberet *primi pili*, sive *primi pilani*, ut *primus Princeps* vocabatur, primus Principum centurio, & *primus Hastatus* primi ordinis ductor inter *Hastatos*. At in prima cohorte legionis Cæsariani sæculi non solum *primipilus* qui primus *Triariorum* olim fuit centurio, sed etiam prior vel primus *Princeps* in eadem cohorte prima à Cæsare ponitur. *Aquila*, inquit, *conservatur*, *omnibus prima cohortis centurionibus interfectis præter principem priorem*. Unde aut cur in eadem cohorte prima, *primipilus* & *prior Princeps*, qui diversorum olim generum fuere centuriones, ille in *Triariis* primi ordinis ductor, iste in *Principibus*? Manifestum vel ex hoc unico loco plane videtur magnam rei militaris mutationem fuisse factam. De hac mutatione constat & ex alio loco Cæsaris ubi narrat de Scæva quodam centurione, quem *ab octavis ordinibus ad primipilum* se transduxisse scribit, hoc est ab octavæ cohortis ordinibus, ad primum ordinem primæ cohortis. *Octavos ordines* ab eo de cohortis octavæ ordinibus intelligi, certo certius. Nam subicit & cohortem ipsam in qua ordinem duxerat, duplici stipendio, frumento, & aliis donis amplissime ab se donatam. Ab octava igitur cohorte ad primam totius legionis cohortem hæc facta à Cæsare promotio. Cæterum prout in antiqua militia ordo promotionum fuit, ab octavis ordinibus ad primum sui generis evectum quemque oportuit. Nam unum quodq; genus octavum suum ordinem habuit & reliquorum numerorum, à primo, usq; ad decimum. Sic in totum tricenos ordines universa legio habuit, denos *Hastatorum*, denos *Principum*, & denos *Triariorum*. Temporibus vero Cæsaris soli deni ordines in tota legione fuere. Ab octavis igitur ordinibus ad primipilum transductus, ab octavæ cohortis ordinibus ad primum primæ cohortis ordinem promotus intelligi debet. In eadem prima cohorte cum legamus tum fuisse, & *primipilum*, *Pila-*

porum live *Triariorum*, & *primum Principem Principum*, quid ni & recta conjectura sit idem de primo *Hastato* opinari? Sane cum idem Cæsar *primum Hastatum* duodecimæ legionis nominavit, verisimile vix est alium ab illo intelligi præter primæ cohortis in duodecima legione *primum Hastatum*. Ubi enim ille *primus Hastatus* nisi in hac cohorte quæ omnes illo tempore habuit totius legionis primos ordines? Cum legimus itaque apud auctores, ut Cæsarem, Tacitum, Frontinum & alios, *primos ordines*, intelligendi omnino ii sunt de primorum ordinum centurionibus. Idem quippe est dicere, *primos ordines*, & *primorum ordinum centuriones*. Nam Cæsar cum aliquo loco dixit, *relato ad primos ordines consilio*, paulo post hoc ita expressit, *ad primorum ordinum centuriones*. Primi illi ordines, vel primorum ordinum centuriones, in prima cohorte omnes consistebant, in quam & traducti erant ex tribus generibus antiquæ legionis divisionis, nempe ab *Hastatis*, *Principibus* & *Triariis*, ex unoquoque genere bini. Nam sex eos numero fuisse Tacitus ait primæ cohortis centuriones, quos & *primorum ordinum* nomine nuncuparunt. Sic enim scribit lib. III. Hist. *Urgēbatur maxime septima legio, nuper è Gallia conscripta. Occisi sex primorum ordinum centuriones*. Arrianus τῶν πρώτης σωείρας ὀπιστάτας appellat, & in agmine cum tribunis incessisse ante signa & circa signa perhibet: ἐπὶ τὰ πρὸ σημείου τῶν πεντεκαδεκάτης φάλαγγος, καὶ ἀμφ' αὐτῶν ἡγεμῶν τῶν φάλαγγος οὐαλπῆς, καὶ οὐ παρεχόμενοι, καὶ οἱ χιλίαρχοι οἷς πελάται, καὶ οἱ εκατόνταρχοι, οἱ τῶν πρώτης σωείρας ὀπιστάται. Deinde signum procedit *Decima quinta legionis*, & circa illud legatus ejus & præfecti, item Tribuni quibus constitutum est, & centuriones primæ cohortis ordinis duces. Notandum hos primæ cohortis centuriones cum tribunis ab Arriano junctim recenserī, ut fere semper ab auctoribus aliis. Cæsar lib. VI. de Bello Gallico: *Labienus noctu tribunis militum primisque ordinibus convocatis, quid sui sit consilii proponit*. Item in lib. V. *primorum ordinum centuriones* appellat, quos & cum tribunis nominat: *Sabinus quos in presentia tribunos militum circum se habebat, & primorum ordinum centuriones se sequi jubet*. Frontinus lib. I. Stratagematum cap. XI. non solum primos illos ordines cum tribunis junctim posuit, sed etiam à centurionibus distinguit: *imperavitque ad ejus rei fidem tribunis & primis ordinibus, & centurionibus quantum quisque numeraret pecunia*. Ita passim alii.

Hinc

Hinc etiam Cicero *centurionatum* ab ordinibus distinguit oratione in Pisonem. Nam *ordinum* nomine καὶ ἑξῶν primos ordines intellexit. *Quid centuriatus palam venditos? Quid per tuum servulum ordines assignatos?* Id est, primos ordines. Unde & *ordinarii* postea appellati, ut infra dicam, qui primos hos ordines ducebant, & *ordinum* etiam *ductores*. Sed illi non dicunt primos illos ordines, sive primorum ordinum centuriones, in prima tantum cohorte fuisse, quod diserte prodidit Arrianus loco supra citato. Unum ex his *Primipilum* extitisse & quidem primum omnes auctores docent. Discimus porro & ex Cæsare & *primum Principem* inter eos numeratum. Immo & *Hastatum primum*. Hunc absolute *Hastatum legionis* appellant veteres inscriptiones cum Floro. Quod de primo esse accipiendum καὶ ἑξῶν aliæ ejusmodi loquutiones ostendunt. Nam & qui *primipilus* olim dicebatur, *primus primipilus* erat intelligendus, cum cæteri omnes ita vocarentur, sed cum numeri & ordinis nota, ut *secundus primipilus*, *tertius primipilus*, atque ita de cæteris. Cum tamen, ut *primus pilus* dicebatur pro primo *pilano*, ita & *secundus pilus* dicendus videretur, ut *secundus Hastatus* & *secundus Princeps*, atque ita usque ad *decimum pilum*. Livius lib. VII. meminit cujusdam Tullii qui *septimum primipilum* jam ducebat. Et sic interpretandum non mutandum quod idem Livius scripsit lib. VIII. *Ex quibus ordo unusquisque tres partes habebat. Earum unam quamque primum pilum vocabant.* De quo nos alibi. Ita *Principem* legionis apud eundem Livium reperire est de primo *Principe* quando adhuc durabat vetus ordinatio per *Hastatos* & *Principes Triariosque* instruendi exercitus: T. Pedanius *Princeps tertia legionis*. Inscitè dubitat Lipsius an de hoc *Principe* capienda sint verba Suidæ, Πρίνυς ἑξαρχὸς τῶν πρώτων ὁπλῶν Ρωμαίων. *Princeps*, *primas officii apud Romanos*. Ex hac versione nostra de *principe* sive *primate officii* accipienda ea esse liquet. Jam habemus tres ex illis sex primis ordinibus sive primorum ordinum centurionibus, *Primipilum*, *Principem primum*, & *primum Hastatum*. Quinam erunt reliqui tres? Ratio exigit, ut *secundi* ex singulis generibus hunc gradum tenuerint, *secundus* nimirum *primipilus*, *secundus Princeps*, & *secundus Hastatus*. Certe *secundi Hastati* mentio occurrat in antiqua inscriptione. Ita ergo sex erant primorum ordines cen-

centuriones in prima cohorte omnes collocati quos ideo *ἑπισταίτες*, *ἡ πρώτη ἀρείος* vocavit Arrianus. Et in his maxime cernitur differentia veteris ordinationis & novæ. Nam in antiqua ordinatione primus *Hastatus* cum reliquis usque ad decimum *Hastatum* in prima acie pugnabat. Primus *Princeps* & secundus cæterique in secunda. *Primipilus*, aliique primipili sequentes usque ad decimum in tertia ac postrema pugnam capebant. Ex novo instituto novitiæ ordinationis, primus & secundus primipilus, primus & secundus *Princeps*, primus & secundus *Hastatus* facti sunt centuriones primæ cohortis, & in prima acie locus ad pugnandum his omnibus assignatus. *Ordinarios* eos sequens ætas appellavit, Hadrianempe, ut ex Vegetio constat qui à Frontino id hausit, quem & epitomavit. *Ordinarii*, inquit, *dicuntur qui in pralio primos ordines ducunt*. Nam & Cicero ut supra notavimus, *ordines* absolute dixit pro ordinibus primis, *ordines per servulum assignatos*, quos cum à centurionatib⁹ separavit, *ordinum* nomine planum est eum intellexisse primos, & primorum ordinum centuriones. Ergo iidem erant isti *ordinarii*, cum primorum ordinum ductoribus, quos & *primos ordines* appellarunt, eodem modo quo *λόγον* pro *λογιστήν* dixit Strabo, *Rationem* pro Rationali, *ἰδιον λόγον* de Rationali *Principis*. Sic *officia* pro officialibus. *Principia* pro principibus, in castris, *οἱ ἀρχοντες*. *Conjugia* & *matrimonia* pro uxoribus. Unde apud Marcellum Empiricum, *Matrimonia Caesarum*, Cæsarum uxores. *Cura* pro curatore. Unde *cura palatii*, palatii curator, ex quo compositum nomen in aula Constantinopolitana *κυροπαλάτης*. *Armatura* pro armatis. Primorum autem ordinum ductores illos non sex sed quinque ponit Vegetius lib. II. c. VIII. Quos & eosdem numerat & pæne eodem ordine, quo à nobis supra sunt recensiti. Sed caput illud Vegetii vulgo corruptissimum legitur, vitio correctorum qui locum eum pessimè interpolaverunt. In editionibus *primus Princeps* nominatur post primum *Hastatum*. *Princeps*, inquit, *prima cohortis centuriam semis, hoc est, centum & quinquaginta homines gubernabat*. Ratio autem ordinis postulat, ut *Princeps* primus primæ cohortis ante primum sit *Hastatus*. Verba igitur illa quæ ante posuimus Vegetii, de *Principe* secundo primæ cohortis accipienda sunt. Et sane notant viri doctissimi ita scribi in optimis libris: *Princeps autem secundus prima cohortis*. Ac necessario ita intel-

intelligendum & legendum. Nam ex *primo Principe* cohortis primæ promovebatur centurio *primipili*. Ergo post *primipilum* legionis erat *primus Princeps* ejusdem legionis, qui & *primus Princeps* primæ cohortis dicebatur. Ita in prima cohorte *Primus Princeps* & *secundus Princeps* fuere. Cæterum si hoc admittimus, ut omnimodo admitti oportet quod est verissimum, non quinque ut Vegetio numerantur, sed sex numerabuntur primorum ordinum ductores, siue *ordinarii* in prima cohorte legionis, & falsum fuerit quod idem scribit eodem capite, *decem centurias cohortis primæ à quinque ordinariis regi*. Certe in illo Vegetii numero unum omnino superabundare necesse est. Nec alius esse potest quam ille *Triarius prior*, qui ultimus omnium in editis nominatur, & cui una tantum ac semis centuria in cohorte prima attribuitur ducenda. Sed illum *Triarium priorem* non agnoscunt veteres libri. Et sane nullum ibi locum potest habere nec uspiam, cum nusquam fuerit ullus *Triarius prior*. Nam *primipilus*, id est *primus pilanus*, revera fuit *Triarius prior*, cum *Triarii* & *pilani* iidem essent. Cum vero rejiciatur hic *prior Triarius* apud Vegetium post omnes reliquos ordinarios, debuit primum inter eos locum obtinere. Si de secundo *primipilo* vel secundo *pilano* intelligamus, qui secundus fuit centurio in ordine *Triariorum*, is præcedere videtur debuisse secundum *Principem*, & secundum *Hastatum*, ut *primus pilus* antecederet *primum Principem*, & *primum Hastatum*. Enimvero cum sex ordinum primorum ductores numerabantur in legione, *secundus Triarius* siue *secundus pilus* inter eos recensēbatur. Cui locus fuit post *primum Hastatum*, ante *secundum Principem*. Atque is numerus sex primorum ordinum centurionum in legione tamdiu obtinuit quamdiu cohors prima sexcentorum militum fuit omnesque cohortes inter se pares erant. Nam cum sex centuriæ essent in prima cohorte ut in aliis, unusquisque eorum primorum centurionum suam regēbat centuriam. Primam habebat *primipilus*, secundam *primus Princeps*, tertiam *primus Hastatus*, quartam *secundus pilus*, vel *Triarius*, quintum *secundus Princeps*, sextam *secundus Hastatus*. Commutata vero hac in parte nonnihil sub Adriano militia, prima cohors facta est millenaria, & reliquæ omnes quingenariæ. Sic cum reliquæ cohortes non plures quam quinque centurias haberent totidemque centuriones, ipsa quoque prima cohors

quæ millenis peditibus constabat, reliquasque numero & dignitate præcellerat, non plures etiam quam quinque sortita est primorum ordinum centuriones, sive *ordinarios*. Decem autem primæ cohortis centuriæ ita inter illos quinque primarios centuriones distributæ sunt, ut non æqualis centuriarum numerus singulis adscriberetur ducendus ut antea, sed primi quique plures regerent. Sic igitur factum, ut centurio *primipili* tres gubernaret in prima cohorte centurias cum ad prælium legio per cohortes in acie ordinaretur: *primus Princeps* duabus præficeretur: *primus Hastatus* duas quoque haberet. At secundus *Princeps* primæ ejusdem cohortis centuriam semis gubernabat, & secundus pariter *Hastatus* centuriam semis. Sic hi duo, tres centurias ducebant quæ cum prioribus septem junctæ, decem centuriarum primæ cohortis numerum explent. Falsum est igitur ac mendosum, quod apud eundem Vegetium scribitur, *primipilum* quadringentos milites in prima acie gubernasse, id est quatuor centurias. Quomodo enim constabit numerus reliquarum centuriarum à cæteris primorum ordinum quatuor centurionibus gubernatarum? *Primus Hastatus* duas habebat, *secundus Princeps* cum *secundo Hastato* tres, unusquisque unam & semis. Fiunt novem centuriæ. Ergo unam tantum habuisset *primus Princeps*? Atqui cum ille dignitate reliquos præcelleret, & primus omnium post *primipilum* esset cum ex eo promoveretur centurio *primipili*, non videtur rationi convenire, ut minorem numerum in ea prima cohorte militum rexerit quam *secundus Hastatus*, qui omnium erat ultimus *ordinariorum*, & centum ac quinquaginta militibus præerat, id est centuriæ uni & semis. Tres ergo centurias gubernabat *Primipilus* in prima cohorte, *primus Princeps* duas, *primus Hastatus* duas, *secundus Princeps* unam & semis, *secundus* quoque *Hastatus* unam & semis. Ita decem centuriæ primæ cohortis quæ millenaria erat, à quinque *ordinariis*, sive primorum ordinum centurionibus, gubernabantur. In veteribus inscriptionibus *primi Hastati* fit mentio, ut pag. M X C V I. *Centurioni, Hastato primo legionis IV. καὶ ἐξοχλῶ* sæpius vocatur *Hastatus* cohortis primæ, vel in cohorte *prima* legionis, & de *primo Hastato* intelligi debet. pag. ccccxxxv. *Hastato in cohorte I. legionis II. Traiana.* Et in alia, *Hastato* in cohorte prima legionis Italiciæ. In aliis vocatur simpliciter *Hastatus legionis*. Ut

pag.

pag. CCCLVII. C. *Antonio C. F. Flavino*, VI. viro juniorum, *Hastato* legionis II. *Augustali*, torque aurea, & annona duplici ob virtutem donato. Alia inscriptio similiter meminit *Hastati* legionis decima. In alia inscriptione tres primi *ordinariorum* memorantur eo ordine quo in legione promovebantur. Ut enim ex primo *Hastato* promovebatur *primus Princeps*, & ex primo *Principe* *Primus pilus*, ita in ea inscriptione cum ordine recenscantur dignitates quas ille emensus est cui posita fuit inscriptio, sic in ea scriptum extat pag. CCCXLVII. *Hastato*, & *Principi*, & *primipilo* legionis Septimæ Geminæ, Pia, Felicis. Ubi *Hastatus* intelligendus de primo *Hastato*, & *Princeps* de primo *Principe* legionis, sive cohortis primæ in legione, quia à *Principe* primo ad *primipilum* promotionis gradus dabatur, ut ab *Hastato* primo ad *Principem primum*, quem etiam *Principem primum* legionis appellat Vegetius, alii simpliciter *Principem legionis*. *Hastatorum* in acie meminit Ammianus Marcellinus, sed illos *Hastatos* alios fuisse constat tam ab *Hastatis* primitivæ militiæ qualis sub Scipionibus exercebatur, quam ab *Hastatis* secundæ, quales eos noverunt Cæsariana tempora. *Hastatos* quippe posuit Ammianus pro signiferis, quia signa in longis *hastis* fixa vel appensa præferabantur. Sic enim scribit lib. XVI. *Quos cum jam prope densantes semet in cuneos nostrorum conspexere ductores, steterunt vestigiis fixis, antepilans hastatisque & ordinum primis, velut insolubili muro fundatis.* Ubi *Hastatos* vocat vexillarios, sive draconarios, ut ipse alibi interpretatur, lib. XX. *Maurus nomine quidam, postea comes, qui res male gessit apud Succorum augustas, Petulantium tum Hastatus, abstractum sibi torquem quo, ut draconarius, utebatur capiti ejus imposuit.* Zonaras tamen ταξίαρχον hunc fuisse ait, non draconarium. *Hastatos* autem sive draconarios, ut signiferos, ideo inter eos qui in prima acie pugnabant, collocat, quia in militia Romana signiferi læva manu signa sustinebant, dextra pugnabant, ut infra docebimus. *Hastarios* idem Marcellinus appellat eos qui *hastis* in prælio uterentur, quos *Hastatos* præsci, λογχοφόρος vocitat Arrianus. Sic enim scribit lib. XXVII. *Didicit regem hostilium agminum cum paucis captum ab Hastariis, quos ipse per iter aliud miserat ad diripienda tentoria Alamannica.* Hic *Hastarii* milites sunt *hastis* pugnantes, *Hastati* autem signiferi, vel draconarii, signa in *hastis* gestantes. *Hastas* illas quibus vexilla signorum appensa

appensa præferebantur *Contabra* appellat Tertullianus in Apologetico & Minutius Felix, voce à contis deducta. Et *contabra*, inquit iste, & *vexilla castrorum quid aliud quam inaurata cruces sunt?* Verus auctor apud Suidam *κοντὲς συμμέτρους* appellat quibus infixæ draconum simulacra pro signis in acie portabantur, *ἀ ἐς ἰδίαν μάλισσα ὁ Φέων εἵκασται καὶ ἀπηώρην* *κοντῶν συμμέτρων*. Quæ verba sunt Arriani. Ubi *κοντὲς συμμέτροι* sunt *hasta*, conti enim majores *hastis*, & *pila* sic vocavit idem Arrianus. At mediocres conti *hasta* quibus vexilla appendebantur militaria. Tertulliano *Contabra*. Tot igitur mutationes Romana militia temporum lapsu passa est. *Hastati* primo manipuli militum fuere per quos ordinabatur *Hastatorum* acies. Postea de solis ordinum ductoribus ea vox accepta est, cum duo *Hastati* in primis legionum cohortibus primos ordines ducerent cum *Primipilis* & *Principibus*, primus nempe *Hastatus*, ac secundus. Postremo infima ætas *Hastatorum* appellationem usurpavit, pro signiferis, vel draconariis. De medii temporis militia nunc tractamus quæ senos primorum ordinum centuriones in unaquaque legione primo agnovit, postea tantum quinos, postquam nimirum cohors prima millenaria facta est, & reliquæ quingenariæ, cum antea omnes essent sexcenariæ. Idem Vegetius eodem libro c. xv. istos *ordinarios* in prima acie pugnasse tradit, cum reliquis *Principalibus* militibus quos *Principiorum* nomine proprie, ut jam dixi, vocabant. Sed *Principes* etiam eo loco vocat idem Vegetius qui in prima acie pugnabant. *Sed ante signa*, inquit, & *circa signa in prima acie dimicantes Principes vocantur, id est ordinarii, ceterique principales*. Distinguit ut videtur, primam aciem ab his qui ante & circa signa dimicabant. Certe prima acies ex his constabat qui signa sequebantur, & in ordines dispositi, eos servabant, sub ducibus quisque suis, ut centurionibus. Si ergo *ordinarii* illi primæ cohortis milites in bellum ducebant, non ante nec circa signa dimicabant, sed post signa cum manipularibus suis quos in prælium ducebant. Videntur ergo in agmine tantum, id est dum iter agerent, ita incessisse, ut prope signa legionis, id est aquilam constiterint. In prælio ipso præbant iis manipularibus quibus & præerant, signum quod antecedebat, sequentibus. Et sane Arrianus in agmine exercitus describendo locum illum iis assignat, non in ipsis ordinibus instructi ad pugnam exercitus. Quinimo & tribunos duodecimæ legio-

legionis quam in sinistro cornu constituit Arrianus, eidem dextræ alæ præesse vult, in ipsa acie. Η' γαίῳ δ', inquit, ἔδεξι' ἃ παν-
 τος ζωῇ τῷ ἱππικῷ Οὐάλης ὅσπερ καὶ τῇ πεντεκαδεκάτης Φάλαγγι· ἡ γα-
 μωνέστιν, ἔδ' ἄριστοί οἱ χλῖαρχοι τῇ δωδεκάτης. *In omni dextro cornu
 cures atque equitatus etiam præsistat qui decima quinta legionis legatus
 est. Sinistro autem præsiciantur tribuni duodecima legionis.* Ex ea
 legione duodecima ordinatum erat sinistrum cornu Arriani
 exercitus. Solebant porro aliquando Duces sibi locum capere
 prope aquilam cum aliis legionis *Principiis*, exceptis si forte pri-
 morum ordinum centurionibus, qui cum esset confligendum
 acie, pugnabant ante suos quique ordines, in agmine vero cum
Principiis cæteris juxta signa assistebant. Scribit Sallustius in Ca-
 tilinario, Catilinam propter aquilam pugnasse, cum libertis suis ac
 clientibus, quos *colones* vocat veteri vocabulo: *Ab his centuriones
 omnes lectos & evocatos, præterea ex gregariis militibus optimè
 quemque armatum in primam aciem subduxit. C. Manlium in dex-
 tra, Fesulanum quemdam in sinistra parte curare, jubet. Ipse cum
 suis libertis & colonibus propter aquilam assistit, quam bello Cimbrico
 C. Marius habuisse dicebatur.* Sed de his infra ubi explicabimus
 quo loco signa in acie constiterint, simulque aperiemus quinam
 prope signa adstiterint vel ante signa. Hæc summa discriminis quo
 vetus ordinatio à nova distabat. *Principia* in vetere cum vete-
 ranis militibus postremam aciem constituere soliti erant. In no-
 va eadem *Principia* sive *Principales* milites ac veterani instruebantur
 in ipsa fronte. Idem Sallustius ibidem de exercitus Roma-
 ni ordinatione qui contra Catilinarium exercitum constitit: *At
 ex altera parte C. Antonius pedibus ager, quod praelio adesse nequibat,
 M. Petreio legato exercitum permisit. Ille cohortes veteranas quas
 tumulti causa conscripserat in fronte, post eas ceterum exercitum in
 subsidio locat.* Ecce veterani in fronte contra veteris ordinatio-
 nis morem quæ primos *Hastatos*, id est juvenes milites collocabat,
 & primam aciem ex his faciebat. In eadem prima acie *Principia*
 legionis collocabantur Sallustii ætate. Unde & *Principia* tum
 pro prima acie, *postprincipia* pro secunda, cum olim *Principia* di-
 cerentur de postrema acie *Triariorum*, quia ibi eo tempore *Prin-*
cipia erant. In castris proxima tabernaculo Ducis, id est prætorio,
 eorum tabernacula ponebantur, quæ & *Principia* dicta. In acie

quoque propter signa assistebant cum ipso duce. Sallustius in Jugurthina historia *Principiorum* meminit, haud scio an pro acie prima. Hoc si est, post *principia* de secunda acie dixerit. Certum tamen est sub Metello de quo sermo est nondum fuisse mutatum morem antiquæ ordinationis. Quinimo omnis illa instructio Metelli contra Jugurtham, quam ibi explicat Sallustius, tota ad antiquorum ordinum normam facta videtur. In dextro latere quod proximum hostibus erat, *triplicibus subsidiis* aciem instruxisse dicitur Metellus. Triplicia illa subsidia trinæ sunt acies *Hastatorum, Principum, & Triariorum* juxta veterem consuetudinem Romanorum ordinatæ. Nam illa veteri instructionis lege ita triplex illa acies disponi solebat, ut secunda subsidiaria esset primæ, tertia secundæ. Etiam prima *Hastatorum* subsidii loco erat dextro cornui si ad hostes promoveretur. Utrumque autem cornu ex sociis & auxiliariis constabat, ut paulo post demonstrabimus. In illa autem instructione Metelli dextrum cornu primum occurrit hostibus, quod triplici acie subsidiaria firmavit Metellus. Agminatim incedebat solito & antiquo more ejus exercitus cum hostes in conspectum venere, sed occultati, & in insidiis dispositi. In primo agmine dextrum cornu sociorum ibat, ut ex Polybio constat. Deinde sequebantur legiones Romanæ cum suis quæque impedimentis. Postremum agmen claudebat sinistrum cornu sociorum. Hic erat agminis Metelli ordo cum ex improviso hostes quos in insidiis posuerat Jugurtha detecti sunt & conspecti. Dextrum ergo latus, ut narrat Sallustius, id est dextrum cornu, sicut primum agmen, hostibus proximum erat. Sequebantur legiones ita ordinatæ, ut *Hastati* primi incederent, deinde *Principes*, postremo *Triarii*. Ad conspectum hostium qui virgultis male occultati erant repente agmen paulisper constituit Metellus, id est iter agminis suppressit, atque ut consisteret fecit. Ibi commutatis ordinibus in dextro latere quod proximum hostibus erat triplicibus subsidiis aciem instruxit. Ita tum commutavit ordines, ut *Principia* quæ postrema in legione incedebant, in primam aciem subduxerit. Quod paulo post clarius explicat his verbis: *Equitatum omnem in cornibus locat, ac pauca pro tempore milites cohortatus aciem scuti instruxerat, transversis Principiis in planum deducit. Transversa* ibi *Principia* transmutata accipi possunt.

Quod

Quod ex sequentibus potest confirmari quæ sic habent: *Deinde ipse pro re atque loco, sicuti monte descenderat, paulatim procedere, Marium post Principia habere.* Ex ea *Principiorum* id est *Triariorum* transmutatione, prima facta erant *Principia* quæ postrema fuerant. Ideo post *Principia* Marium locaverat cum *Hastatis & Principibus*. Alioquin cum *Principia* suum locum obtinebant, nihil post ea locari solebat, præcipue in acie & cum præliandum esset, nisi pluribus subsidis firmarentur, & quarta aliqua acies, post tertiam seponeretur, ut sæpe factum constat. *Principia* igitur apud Sallustium eo loco pro *Triariorum* manipulis, qui ex veteri rei militaris instituto postremam aciem claudere consueverant. Aciem autem Metelli instructam fuisse ad instar veteris ordinum disciplinæ vel ex eo constat, quod ibidem Sallustius memorat, Metellum *funditores ac sagittarios inter manipulos* aciem quam instruxerat *dispertisse*. Ergo per manipulos instructa erat ejus acies, non per cohortes. Præterea inter manipulos intervalla reliquerat. Quod & antiqui fuit ordinationum instituti. Deinde funditores & sagittarii inter manipulorum intervalla dispertiti ad antiquam ordinationem pertinent. Nihil enim tale factitari solitum postquam per cohortes, & sine intervallis, acies instrui cœpta est. Certum quidem est, ut supra diximus, Marium auctorem fuisse omnis mutationis quæ in re militari Romanorum intervenit. Sed nondum tunc ea mutatio quæ per eum postea facta est, inciderat, cum Metelli legatus in Africa ageret. Postea id fecit quando ipse cum imperio ad bellum illud Jugurthinum conficiendum cum imperio missus est.

C A P. VII.

Quot modis acies Romana instrueretur numero ac genere differentibus in antiqua ac nova militia.

AD eas differentias quas notavimus intercessisse in antiqua re militari Romanorum quantum ad ordinationem attinet, aliæ etiam accesserunt de quibus nondum diximus, quæ modos ac genera instruendæ aciei spectant, sive forma ipsa instructionis consideretur, sive numerus *ἐκτάζων*, cum plures nempe separatæ acies fierent. Cum per *Hastatos & Principes & Triarios* ordinabantur.

bantur exercitus semper triplexacies constituebatur, nunquam minore numero stabat instructio, sæpe maiore cum pluris subsidia à tergo ponerentur. Ubi enim in tria genera ab ætate & censu distincta dividebatur legio, totidem cum pugnandum esset,acies institui solebant, quot erant militum in legione per ætates discrimina. Ergo una ex *Hastatis*, quæ prima: altera ex *Principibus* quæ secunda: tertia ex *Triariis* parabatur. Sic nunquam minus triplici acie pugnatum est, cum tria illa discrimina generatim observata sunt. Postquam ea divisio per gradus ætatum abolita est, & alia introducta, tum etiam alia inuenta fuerunt instruendæ aciei genera. Quod ad numerum attinet, sæpe simplex pro triplici instructa est. Talem Cæsar instruxisse perhibetur apud auctorem belli Africani contra Labienum: *Interim Cæsar aciem dirigit simplicem ut poterat propter paucitatem. Sagittarios ante aciem constituit. equites dextro sinistroque cornu opponit.* Ex paucitate copiarum ad id genus instructionis veniebant, quo simplex acies statuebatur, cum nimirum non satis esset amplius numerus militum unde duplex fieretacies. Simplicis & duplicis meminit Tibullus in pænegyrico Messalæ his versibus quos nemo adhuc intellexit, nec recte explicavit, qui etiam nonnihil corrupti sunt ut leguntur vulgo. Sic ergo restituendi:

*Iam simul audacis veniunt certamina Martis
Adversisque parant acies concurrere signis,
Tunc tibi non desit, faciem componere pugna.
Sed sit opus quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo:
Sed libeat duplici sejunctim cernere Marte,
Dexter uti laevum teneat, dextrumque sinister
Miles, sitque duplex gemini victoria casus.*

Commendat in Messala scientiam rei militaris, præcipue illam quæ *τακτική* Græcis dicitur, & in componendis variis pro tempore ac loco pugnae formis consistit. Duas tamen ab eo componendæ aciei species memorari certum est versibus supra scriptis, simplicem & duplicem. Simplex ita describitur:

*Sed sit opus quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo.*

Opor-

Oportet hanc simplicem esse cum de duplici subjunxerit hos versus:

*Seu libeat duplici sejunctim cernere marte,
Dexter uti laevum teneat, dextrumque sinister
Miles, sitque duplex gemini victoria casus.*

Primum ex his tribus versibus ita correximus cum vulgo sic legere eum soleant:

Seu libeat duplicem, seu junctum cernere martem.

Ex quibus nullus idoneus sensus elici possit, nec alius nisi menti auctoris, & rei ipsi contrarius. *Iunctus mars* de simplici acie tantum dici potest. At sequitur explicatio duplicis. Sejuncto autem ac duplici marte pugnare idem est quod bipertita acie decertare. Ex qua consequitur id quod subjicit Tibullus:

*Dexter uti laevum teneat, dextrumque sinister
Miles, sitque duplex gemini victoria casus.*

Ubi etiam melius legeretur, *Dexter uti laevum tentet*. Nam cum duplici acie configitur, dextri cornu miles qui noster est, sinistrum militem adversariorum invadit, & contra. Sic duplex victoria paritur cum utroque cornu vincitur hostis. Alioquin non raro accidit, ut qui in uno cornu vincit, in altero vincatur. Simile est quod de quarto genere depugnationis scribit Vegetius lib. III. c. XIX. *Nam sic de dextro cornu suo illius sinistrum, & de sinistro cornu suo illius dextrum aggreditur*. Hoc est plane quod Tibullus dixit, *dexter uti laevum tentet, & sinister dextrum*. Id est aggreditur & invadit. Et sic loquutus est Sallustius in libro de bello Jugurthino *Numida alii postremos cadere: pars à sinistra ac dextra tentat; omnibus locis Romanorum ordines conturbare*. Verum in illa depugnatione non duplex tantum est acies, sed triplex, cui accedit media inter utrumque cornu, ut & in tertio genere quod ab eodem Vegetio exponitur, *Cum subito ambæ ale incitantur, ut ex utroque cornu improvise hostes vertantur in fugam, & celerius victoriam consequamur*. Nihil tamen prohibet eodem modo pugnari, cum duplex tantum est acies, in dextrum & sinistrum cornu bipertita. Quali genere constat sæpissime acies à Romanis instrui solitas, eo præcipue tempore quo iidem Græcorum *ταλιχλὺ* imitari cœperunt. Nam in phalange duo semper cornua facta, quasi duæ partes, dextrum ac sinistrum. Unde Panem cornigerum finxere ve-

K

teres

terēs quia ordinationem eam reperit quæ phalangem in duo cornua dividit, Polyænus lib. i. Stratagematum, Διονύσιος στρατηγὸς λέγει ὁ Πάν. ἔτι πρῶτον τάξιν ὄρεν, ὠνόμασε Φάλαγγα, κίερας ἔλαξε δεξιὸν καὶ λαὸν, πῶν τε ἄρα κίερασφόρον τὴν Πᾶνα δημιργᾷσι. *Dionysi dux fuit Pan. Hic primus invenit aciei instructionem, phalangem nominavit, duo in ea cornua insituit, dextrum levumque. Ea gratia Panem cornutum artifices fingunt.* In prisca vero Romanorum disciplina militari acies quæ ex civibus ac legionariis constabat, semper simplex fuit ut postea dicam, qualem quadratam dixere. Certe Tibullus loco quem supra produximus duos tantum modos exercitus ordinandi proposuit, unum per aciem simplicem, alterum per duplicem. Cum secundus modus ab eo positus duplicem aciem notet, primus de simplici accipi debet:

Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,

Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo.

Virgilii quoque versus ex ii. Georgicā de simplici & quadrata acie accipiendi videntur, quam ita luculenter descripsit, & vineæ ordinibus comparavit:

Indulge ordinibus, nec secius omnis in unguem

Arboribus positis sc̄cto via limite quadrat.

Vt saepe ingenti bello cum longa cohortes

Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto

Directæque acies, ac late fluctuat omnis

Ære venienti tellus, necdum horrida miscent

Prælia, sed dubius mediis Mars errat in armis,

Omnia sunt paribus numeris dimensa viarum.

Ut in vinea ordinatim confita ordines inter se quadrant, in longum & in latum ducti, viis in medio relictis, ita in exercitu instructo ad prælium omnia paribus numeris viarum dimensa habentur, & per vias intellexit non intervalla inter ordines ipsos & cohortes quæ tunc confertæ & continuæ disponebantur sine ullis intervallis, sed spatia inter singulos milites interposita tam à tergo quam à latere, de quibus nos infra dicturi sumus. Quadratam & unius formæ aciem, æquata fronte assimilat quadrato agri modo vineis confito. Ordines arborum comparat cum ordinibus militum, & intervalla cum intervallis inter utrosque ordines, quas & vias vocat. Si de acie duplici & in duo cornua divisa sermo esset, haud

haud æque similitudo procederet, cum fere semper alterum cornu promoveretur in hostem, alterum ab hoste longius recederet. Idem Virgilius vinearum ordines *antes* vocavit, hoc versu:

Iam canit extremos effatus vinitor antes.

Cato quoque Junio Philargyro notante, *antes* appellavit ordines militum agminatim incedentium. De quo nos alibi. Ea quadrata acies ac simplex veteribus maxime frequentata est, ut etiam Vegetius tradit, ac de ea omnino intellexit Tibullus versibus supra expositis. Mira est ad eum Tibulli locum Scaligeri observatio notantis, *tria genera aciei instruenda apponi, quadratum, duplex, pilatum.* Quod ut confirmet verba Varronis adfert de duobus agminis generibus. Quasi vero *agmen* idem sit quod *acies*: aut quasi Varro verbis illis quæ adduxit de generibus aciei tractet, aut Tibullus de variis agminis agendi modis intelligendus sit. Aciem ille nominat. *Acies* proprie loquendo ab *agmine* distat, ut Græcis *πορεία* exercitus, & *ἐνταξίς*. *Agmen* est *πορεία*, *acies* *ἐνταξίς*. *Agmen* tamen pro qualibet multitudine sæpe accipitur, in ordine euntium. Unde & Livius *Triarios* ad prælium procedentes *continenti agmine* ire dixit, post receptos in intervalla sua *Principum* manipulos. Virgilius quoque *agmen* de acie instructa dixit in secundo Georgicōn;

--- & campo stetit agmen aperto

Directæque acies.

Ita Tibullus hoc loco cum aciem *quadratum in agmen* consistere scripsit, de eo genere aciei intellexit quod à Vegetio explicatur, & in septem generibus depugnationum sive *instructionum* primum ponitur: *Vna depugnatio est fronte longa, quadrato exercitu*, lib. III. cap. XX. Item eodem libro cap. ultimo: *Qui multitudine, & virtute præcedit, quadrata dimicet fronte, qui primus est modus.* Eum modum nos infra explicabimus. Hoc tantum hic signabimus, eo modo fere semper pugnatum à Romanis, cum simplex producebatur in campum acies, nec bipertito vel tripartito signa in hostes inferebantur. Etsi autem triplex semper acies statueretur ab antiquis, cum per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* pugna institui soleret, unaquæque tamen earum, simplicis aciei vicem tenebat. Quia nunquam simul in prælium exibant, nec aliter locus erat secundæ nisi ubi prima loco pulsa cessisset. Nec

tertia pugnam inire consueverat, nisi cum prima & secunda, campum non tenuissent. Duplicis aciei exempla plurima apud Cæsarem reperiuntur, & alios. Ut in Epistola Servii Galbæ ad Ciceronem, aciem Hirtius contra Antonium duplicem instruxerat duodecim cohortium. Octo cohortes Martiæ legionis in dexteriore cornu posuerat, duas reliquas ejusdem legionis in sinistriere cum duabus cohortibus prætoriis. Ideo sinistrierius cornu infirmius fuisse scribit, quia duas tantum cohortes ex legione Martia haberet, & duas prætorias, cum in dextro octo cohortes essent. Eo tempore, & illa rei militaris disciplina cum duplicem aciem in auctoribus legimus, de ea quæ cornu dextro & sinistro constaret intelligere debemus. Cæsar lib. III. de bello Civili *duplici acie* scribit se *cohortes numero XXXIII. in quibus erat legio IX. ad legionem Pompeii castraque minora duxisse*. Duplicem illam aciem de sinistro cornu, in quo erat ipse, & dextro interpretatur; ut ex sequentibus liquet. Idem lib. VII. de bello Gallico; aciem quam instruxit Labienus adversus Gallos in dextrum cornu ac sinistrum dividit, quam & duplicem proinde fuisse ex eo certum est: *Dat signum praelii. Primo concursu ab dextro cornu ubi septima legio constiterat hostes pelluntur, atque in fugam conjiciuntur. Ab sinistro quem locum duodecima legio tenebat, quum primi ordines hostium concidissent, tamen acerrime reliqui resistebant*. Duas ille habuit legiones, septimam ac duodecimam. Ex septima construxerat sinistrum cornu, ex duodecima dextrum, id est primam & secundam aciem. Nam in cornu dextro prima acies, in sinistro secunda censebatur, ut infra dicemus. Arriani ordinatio contra Alanos similiter duplici acie constitit, ex cornu dextro & sinistro. Duplicem Afranianam apud Cæsarem ex secundo ejus commentario de bello civili nos alio loco infra explicabimus. Si tertia accederet acies ut triplex fieret, tum media acies inter utrumque cornu ponebatur, quæ secundæ aciei locum obtinebat, cum sinistrum cornu in tertiæ nomen transiret. Si quarta acies adderetur subsidaria, tum quadruplex evadebat acies, modo ex cohortibus legionariis illa sumeretur. Nam auxiliariæ & alariæ cohortes quamlibet multæ in subsidiis statuerentur, non multiplicabant acies. Uno exemplo id probabimus in antecessum, donec pluribus confirmatum demus. Cæsar lib. III. de bello Gallico,

co, memorat Crassum contra Gallos productis omnibus quas habebat copiis duplicem aciem instituisse, & in mediam aciem Auxilia coniecisse. Si media illa acies ex legionariis constituta fuisset, triplicem aciem Crassi reddidisset. Cæsar in Pompeium acie triplici directâ quartam addidit detractis ab ultima sive tertia acie sex cohortibus, & sic quadruplicem aciem fecit. Si ab auxiliariis copiis id subsidium sumptum esset, non pro quarta acie numerasset. In illa porro bipartita divisione in dextrum cornu & sinistrum pro prima ac secunda acie, aut pro prima aut tertia si media addita fuisset, nova lex ordinandi longissime recessit ab antiqua. Prisco quippe ordinum in acie instruenda instituto nunquam dextrum cornu & sinistrum dictum est nisi de Sociali exercitu. Is in duas partes auctore Polybio dividebatur. Partibus nomen erat dextrum cornu & sinistrum. τὰς ἡ λοιπὰς τῶν συμμάχων διείλονε εἰς δύο μέρη, καὶ καλεῖται τὸ μὲν δεξιόν, τὸ δὲ ἀριστερόν. Hæc *cornua* Latini scriptores etiam *alas* vocarunt, *alam dextram* & *sinistram*. Unde *Alarii* pro Auxiliariis qui distinguuntur à legionariis apud Cæsarem & alios. Nec vero putandum, hæc nomina *dextri* & *sinistri cornu* de Auxiliari exercitu, ad ordines tantum pertinuisse & *πικύλης* esse vocabula, quibus extra aciem nisi cum instrueretur, nihil esset loci. Non solum in acie dum pugnabatur, sed etiam in agmine, dum iter agebatur, immo etiam in castris hoc nomen, & locus unde nomen habuerunt. Ex his duabus partibus in quas dividebantur Sociorum copię semper una ad dextrum latus in acie tenendum destinabatur, quæ & inde nominari solita, altera ad sinistrum occupandum. Acies ipsa triplex ex *Hastatis*, *Principibus* & *Triariis* legionariorum tum semper fuit, alæ duæ sive cornua, dextrum & sinistrum, Sociorum & Auxiliorum. Cum castra moverentur pars ea Sociorum exercitus cui dextrum cornu in acie assignabatur, prima exibat & agmen primum constituabat, altera pars cui ex loco nomen, agmen novissimum claudebat. Nec aliter in acie collocabantur nisi in cornibus, dextra ala in dextro cornu, sinistra in sinistro. Ita fixum tunc statumque hunc locum perpetuo obrinuerunt, ut & nomen. Quo magis falsa deprehenditur Scaligeri sententia qui in Epistola ad Thuanum censet *Hastatis*, *Principibus* & *Triariis* nomina fuisse ad tempus data, cum acies esset ordinanda, quibus

extra aciem nihil loci esset. Probabile autem non tantum est, sed & certum, hæc nomina omnia eundem exitum fecisse, & mutata ratione artis militaris & ordinum, eodem tempore *Hastatos, Principes, ac Triarios* defuisse, & cornua Sociorum, sive alas, dextram & sinistram evanuisse. Nam certe ab eo tempore ex quo non comparuisse amplius certum est in exercitu Romano *Hastatos Principes & Triarios*, cornua etiam inde recessisse compertum habeo, saltem eo sensu quo olim accipi erant solita. Immo nec divisio illa amplius audita est Auxilium. aut Socialium copiarum, quæ olim percrebuit, in dextrum & sinistrum cornu. In cohortes eæ dividebantur, haud secus quam legiones ipsæ Romanæ. Hinc passim legimus *cohortes Auxiliares, & alarias*, ut *cohortes legionarias* his oppositas. Quod *dextrum cornu* dicitur in eorum auctorum scriptis qui vixere post mutatam militiam, non est altera pars Auxiliorum quæ in Romano exercitu erant, sed prima acies ex legionariis instructa, ut *sinistrum cornu* secunda est, non ut olim pars altera Auxilium quæ lævam partem in acie tenebat. Sed nec amplius Auxiliis in dextro ac sinistro latere locus proprius dicatus, ut antea fieri mos fuit quando certam ac stabilem ejus loci possessionem sibi vindicabant Sociales copię, adeo ut pro jure perpetuo una pars earum dextrum in acie cornu constitueret, altera sinistram: Arbitrio quippe ducum modo in media acie collocata Auxilia postea sunt, modo in subsidiis, aut quacunq; in parte pro re, tempore, ac loco vellent, aut ex usu esse judicarent. Sic Crassum apud Cæsarem Auxilia in mediam aciem conjecisse legimus: *Prima luce productis omnibus copiis duplici acie instituta Auxiliis in mediam aciem coniectis, quid hostes consilii caperent, expectabat.* In eodem Cæsare Afranii acies duplex ex legionariis composita, alarias cohortes in subsidiis habuit, quæ ex veteris militiæ ritu, locum in cornibus tenuissent, immo cornua ipsa utraque constituissent. In vetere autem novoque militiæ ordine nunquam aciei appellatio data est copiis auxiliariis quacunq; in parte instructæ ponerentur. Olim ut in cornibus ex more locabantur, ita & cornu dextri sinistrique nomina ex merito occupabant. Non tamen ad multiplicandam numero aciem quidquam conferebant, etsi tantundem fere auxiliorum in exercitu Romano semper soleret esse atque legionum. Acies igitur propriæ Romani militis tunc erant, *Cornua*

nua

nua auxiliorum. Inter utrumque cornu directa patebat acies Romana, cui id nomen soli competebar, ademptum Auxiliis & Sociis. Livius lib. xxxvii. de acie Romana quæ contra Antiochum stetit: Romana, inquit, acies unius prope forma fuit & hominum & armorum genere. Dua legiones Romana, dua Socium ac Latini nominis erant, quina millia & quadragenos singula habebant. Romani mediam aciem, cornua Latini tenuerunt. Hastatorum prima signa, deinde Principum erant, Triarii postremos claudebant. Extra hanc veluti justam aciem à parte dextra consul Achaorum cetratis immixtos auxiliares Eumenis tria millia ferme peditum aquata fronte instruxit. Vides ex more qui tunc obtinebat sollemni ac pæne perpetuo, cornua Sociis data, aciem sic proprie dictam Romano militi? Sed illa media acies quam Romanos dicit tenuisse, triplex omnino fuit, ex Hastatis prima composita, secunda ex Principibus, tertia ex Triariis.

C A P. VIII.

Iterum de multiplici acie Romanorum tractatum, & qua in re differebant antiqua ordinatio sub Scipionibus, & nova sub Caesaribus.


APpianus in Syriacis aciem illam Romanorum duce Domitio contra Antiochum describit, sed longe aliter quam Livius, ut videatur aut alios auctores sequutus, aut eos à quibus sumpsit parum assequutus. Nisi verius sit depravata ejus esse verba vitio librariorum sicut edita habentur. Quod mihi persuadeo esse verissimum. Sic autem scribit, τὸ μὲν λαὸν εἶχον ὁπλίται Ρωμαίων μύριοι πρὸς τὴν πρῶτον αὐτὸν, καὶ μετ' ἐκείνους ἦσαν ἱππέων ἔπροι μύριοι, τρεῖς ἑκατέρων ὅτι βάρβαροι. Dicit lævum cornu tenuisse Romanos, & post eos fuisse Latini nominis Socios. Utrumque falsum. Nam & Romani in media acie constitere, Latini in cornibus, non à tergo Romanorum quasi in subsidiis locati. Illud quippe μετ' ἐκείνους de his qui à tergo sunt, accipiendum videtur. Deinde quod addit, τρεῖς ἑκατέρων ὅτι βάρβαροι significat utrorumque aciem tam Romanorum quam Latinorum sociorum ternos tantum peditum ordines in altitudine

ne

ne habuisse. Quod etiam falsissimum. Sed omnino corrigendum est in verbis Appiani, τὸ μὲν μέσον εἶχον ὁ πάλῃ τῃ Ρωμαίων μύελοι, ὡς δὲ τὸ πρῶτον αὐτὸν καὶ μετ' ἐκείνους ἦσαν ἱ πάλῃ ἑτέροι μύελοι. Τρεῖς ἑκατέρων πέλεις τῇ βάθῃ. *Mediam quidem aciem tenuere Romanorum decem millia peditum, juxta ipsum fluvium. Vtriusque Latinorum decem quoque millia adposita. Terni fuere amborum ordines in altitudinem dispositi.* De numero Sociorum & Romanorum inter Livium & Appianum convenit. Nam duæ legiones Romanæ juxta Livium fuere singulæ quinquem millium, quæ decem millia efficiebant, ac totidem Sociorum Latini nominis. Τρεῖς ἑκατέρων πέλεις quoque, terni ordines sive acies, per *Hastatos* nimirum, *Principes*, & *Triarios* dispositæ. Ergo tam Latinorum acies quam Romanorum hoc triplici ordine construebatur per *Hastatorum* manipulos, *Principum* & *Triariorum*. Vereor tamen ut satis hanc ordinationem veteris militiæ intellexerit Appianus, & ne πέλεις pro singulis ordinibus acceperit, ut etiam fecit Vegetius qui *ordines* & *acies* confundit, & in ternos ordines quas etiam *acies* appellat totum exercitum in latitudinem instructum nobis obtrudit. Quasi scilicet *Hastati* unum ζυγόν, ut Græci Τακτικοὶ vocant, eumque primum in fronte fecerint, *Principes* secundum, *Triarii* vero tertium ac postremum, ita ut tota acies de more non pluribus quam ternis ordinibus peditum in latitudinem sive altitudinem constructa fuerit. Ἐπὶ βάθῃ. Ita semper apud Græcos & illum ipsum Appianum. Eodem certe loco ubi Antiochi aciem describit, ita loquutus est, de phalange Macedonica: ἦσαν τῇ δ' μετώπῃ πεντήκοντα ἄνδρες, εἰς δ' τὴν βάθῃ δύο καὶ τριάκοντα. Quod Livius Latine reddidit, à fronte introrsus in duos ac triginta ordines armorum acies patebat. Ubi militum ordinatorum καὶ ζυγόν simplicem seriem vocavit *ordinem*. Appianus vocem πέλεις ita videtur usurpasse. Ne quidem πέλεις ibi nominavit quas ex conjectura addidimus, sed simpliciter dixit, τρεῖς ἑκατέρων τῇ βάθῃ, quasi terni tantum pedites alii post alios ordinati, altitudinem, id est τὴν βάθῃ aciei Romanæ constituerint. Si ita intellexit, maxime hallucinatus est. Quem etiam errorem videntur commisisse Frontinus, & alii rei militaris auctores Latini quos in epitomen redegit Vegetius. Idem Appianus aciem Romanam qua pugnatum est ad Cannas contra Hannibalem in τρεῖς μέρη divi-

divisam fuisse perhibet, *ῥωμαῖοι μὲν εἰς τρία μέρη πεταγμένοι μικρὰ ἀπ' ἀλλήλων διεσῶπες, καὶ μέρος ἑκάστων αὐτῶν εἶχε πεζὺς ἐν μέσῳ, τὰς δὲ ψαλὺς καὶ ἰππείας ἐκατέρωθεν.* *Romanorum acies tripertito instructa erat, modicis intervallis distincta. Singula partes in medio pedites habuere locatos, velites & equites ad latera utrimque.* An per *Hastatos, Principes & Triarios* instructam fuisse vult? Non puto. Nam cum μέρη in acie nominant Græci, de partibus aciei accipiunt quæ in fronte separantur, non quibus dividuntur plures à tergo acies subsidiariæ. Sic idem Appianus in exponenda acie Antiochi phalangem ejus in decem partes distinctam ait fuisse, *εἰς δέκα μέρη.* Et cum *tripertitam* aciem Latini dicunt, de triplici intelligunt quæ in duo cornua in fronte divisa est ac mediam. Onosander in Strategico de triplici ad hunc modum acie intelligi debet, *πρὸς ἑς αὐτὰς πεκτίον ὧδε. τριχῇ διελαὼν τὴν ἰδίαν διώαμιν πῶν μὲν δυοῖν ἐκατέρω μέρος καὶ κέρως πρὸς βαλλέτω τοῖς πολεμίοις, τῷ δ' ἐνὶ τοῖς εἰς τὸ μέσον κάλπῃ ἐμνωσιδὺς ἀνιστῆσθαι πεκτιόμενοις ἐναντίον ἰστέω καὶ μὴ παραγέτω* *Adversus quos hac instructione utendum est. Tripertito divisa acie, duabus enim partibus id est cornu dextro ac sinistro cornua hostium invadat. Ea vero parte quæ opposita est sinui hostilis aciei in lunam corniculatam inflexa, immotus maneat.* Hic tres aciei partes triplicem eam faciunt, non eo modo quo *Hastati & Principes Triarii*que in antiqua militia eam triplicem reddebant, cum altera alteri à tergo subsidiaria collocaretur, sed quomodo in fronte tres in partes divisa cornu sinistrum ac dextrum habuit, mediamque inter cornua aciem. Vetus autem ordinatio Romanorum non solum tres acies separatas à tergo habuit, sed etiam in fronte tripertito divisas. Nam *Hastati* qui primam aciem constituebant, ipsi quoque in tres partes sub eadem linea distinguebantur. Mediam obtinebant legionis Romanæ *Hastati*, utrumque cornu Sociorum *Hastatis* dabatur. Idem de *Principum*, ac de *Triariorum* acie omnino dicendum. Non dubium igitur quin prælio Cannensi Romanorum acies per *Hastatos, Principes & Triarios* ordinata fuerit, more ordinandi qui tunc obtinebat. Tres illæ acies Romanorum subsidiariæ invicem positæ, in tres quoque partes singulæ dividebantur, mediam tenentibus Romanorum *Hastatis, Principibus* ac *Triariis*, duo cornua obtinentibus Sociis Latini nominis. Si nulli essent Socii in Romano exercitu, sed acies instructa foret ex solis legionariis ac ci-

vibus, tum unica tantum acies in fronte fuit, sine cornibus simplex, triplex autem in latitudinem in *Hastatorum* signa & *Principum* & *Triariorum* divisa. In pugna Latinorum contra Romanos cum Romani nullos in exercitu Latini nominis haberent Socios, nec cornua ex his composita videntur habuisse, nisi si dicamus tunc aciem quoque suam tam in *Hastatis* quam in *Principibus* quam in *Triariis* tripertito divisisse in duo cornua & mediam. Nam & Livius *cornuum* in ea pugna describenda meminit, ut & in omnibus aliis quibus Romani cum vicinis & aliis Italiae populis primis reipublice temporibus decertarunt. Sic Romani cum in eodem exercitu parem numerum Sociorum haberent aut etiam duplo majorem, ut aliquando factum, mediam semper aciem ex tribus ipsi tenuerunt, *cornua* Sociis dederunt. Livius lib. III. prælio quo Romani cum Volscis dimicarunt duce Fabio, tres separatim acies instructas fuisse dicit, duas ex Sociis in cornibus, mediam ex Romanis civibus: *Postero die Fabius non permisit unam Sociorum civiumque, sed trium populorum tres separatim acies circa vallum hostium instruxit. Ipse erat medius cum legionibus Romanis. Inde signum observare jussit, ut pariter & Socii rem inciperent, referrentque pedem si receptui cecinisset.* Ternæ illæ acies ad eandem lineam directæ fuerunt, ut semper tum fieri solitum, & singulæ triplices in altitudinem quoque compositæ ex *Hastatis*, *Principibus* & *Triariis*. Ita cornu utrumque Sociorum triplex fuit, & media acies etiam triplex, ut forma subjecta ostendit.



In acie Romana contra Volscos duce Q. Fabio plus Sociorum fuit quam civium, adeo ut ex tribus partibus totius exercitus
duas

duas tertias facerent Socii, unam cives Romani. Sic duæ acies Sociorum, una fuit Romanorum. Et singulæ Sociales numero pares fuere cum Romana ex civibus composita. Quod non expressimus in figura superius posita. Quia enim ut plurimum non plus Sociorum in acie haberent quam civium Romani, cum & in duas acies, siue potius duo cornua, dividerent exercitum Socialem, ex eo fiebat ut singulæ Sociales acies dimidia parte minores essent acie Romana quæ inter duo cornua media locabatur. Idque representatum est in figura superiore, in qua singulares litteræ *Hastatos* Sociales & Romanos denotant, *cornu sinistrum* Sociorum, mediam aciem, & *cornu dextrum*. Item *Principes* Sociorum ac Romanorum, *Triarios* Sociorum ac Romanorum. Hic modus instructionis ab eo tempore quo contra Volscos pugnatum est duce Quinto Fabio usque ad tempus quo Domitii ductu contra Antiochum conflixerunt Romani, idem fuit, per annos circiter ducentos sexaginta septem. Longe etiam antequam Quintus Fabius & viveret & exercitum ducaret mos ille instruendæ aciei apud Romanos usitatus fuit, cum ab ipso Romulo institutus videatur, utpote qui legionem in tria corpora divisam similiter habuerit, ut ipse primus talem prodidit, *Hastatorum*, *Principum* & *Triariorum*. Quod si verum est, ut de eo inter auctores convenit, aciem quoque pari modo instruere solitum esse illum oportet triplicem per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios*. Sed de his adhuc infra. Illud vero non est dubium, Quintum Fabium in bello contra Volscos anno ab urbe condita CCXCIV. ita aciem instruxisse sicut à Livio memoratur. Eodemque prorsus instructionis genere usus est Domitius adversus Antiochum anno urbis DLXI. eodem Livio referente lib. XXXVII. Quo loco idem auctor aciem Romanam tam ex civibus quam ex Sociis constantem, quæ novena erat, *veluti justam* appellat. Extra quam alia erat acies ex Auxiliaribus regis Eumenis & Achæorum æquata fronte disposita ad eandem lineam cum prima Romanorum & Sociorum acie, ac lævo cornui eorundem adplicata, si Appiano credimus. Nam Livius à dextra eos parte collocatos fuisse scribit. Extra hanc, inquit, veluti justam aciem à parte dextera consul Achæorum cetratis immixtos Auxiliares Eumenis tria ferme milia peditum æquata fronte instruxit. In eadem hac parte dex-

tra ultra hos pedites equitum tria millia ferme apposita fuere. In lævo cornu nihil erat equitum aut auxilium peditum, quia ab ea parte flumen ripæque disruptæ clauderant. Verum de hac acie alibi. Illud ergo constat, more prisco instructionis in acie ordinanda Romana, novenas semper acies fuisse dispositas, ter ternas ad eandem lineam in fronte adæquatas, & ter ternas in profundum ad rectam quoque lineam directas cum paribus intervallis, ut figura superius posita testatur. Ita novem acies separatae fuere quibus Romanus exercitus ad prælium instructus constabat, tam ex civibus quam ex Sociis compositus. Cum pari ferme semper numero essent Socii ac cives, sex tamen erant Sociorum acies cum utrumque cornu quod Sociis assignabatur triplex foret ex *Hastatis Principibus* & *Triariis* eorum constructus. Romana autem acies quæ semper in medio ponebatur & ipsa triplex ordinari solita ex suis *Hastatis Principibus* & *Triariis*. Et hæc acies proprie dicebatur. Ideo cum legimus apud eundem Livium triplicem instructam aciem Romanam de hac media acie semper id intelligendum quæ triplex erat ex *Hastatis Principibus* & *Triariis*, non de cornibus Sociorum, quæ inter acies non numerabantur, nec numerum earum augebant. Et cum triplex quoque in fronte esset adjunctis utrimque Socialis exercitus cornibus ad mediam aciem Romanam, non tamen eo nomine triplex dicebatur, sed quod introitus duæ subsidiariæ sequerentur una *Principum* & una *Triariorum* post primam *Hastatorum*. Quæ in fronte dispositæ fuerant ad eandem lineam directæ, atque intervallis inter se distantes non triplicis aciei appellatione ponebantur, sed unam tantum aciem constituere videbantur, mediam nempe quæ ex Romanis constabat legionariis sic proprie appellata, cum adjunctis utrimque cornibus Sociorum. Hæ partes potius aciei vocabantur in quas frons erat divisa. Sic enim ipse Livius appellat lib. III. in pugna contra Volscos. *Equites, inquit, sua cuique parti post principia collocat.* Græci quoque auctores qui de rebus Romanis scripserunt, ut ante docuimus, τρεῖς tantum πλῆθς in exercitu Romano faciunt, id est tres acies, primam *Hastatorum*, secundam *Principum*, & tertiam *Triariorum* ἑπαλλήλους, atque invicem se subsequentes. Tres autem partes, id est τρία μέρη in fronte, hoc est duo cornua Sociorum cum media acie Romanorum. Socii igitur sive pari

pari numero essent cum Romanis, sive ampliore non augebant numerum Romanæ aciei, nec efficiebant ut plures dicerentur. Alioquin si singulas per se acies constituissent cornua Sociorum quæ & ipsa erant triplicia, senas ex se acies dedissent, ex singulis nempe cornibus ternas. Quæ junctæ cum triplici Romanorum acie, novemplex inde, non triplex exiisset acies, ut alibi diximus. Ut enim alæ in avibus non corpus ipsum avis ut geminum sit aut trigeminum præstant, ita cum copiæ Sociorum in exercitu Romano pro alis essent, eoque nomine etiam appellarentur, corpus ipsum aciei Romanæ non duplicabant nec triplex reddebant, sed manente una acie quæ ex Romanis legionibus componebatur, acies Sociales quasi illius corporis appendices habebantur. *Cornua* etiam proprie vocabantur. Et hac in parte etiam notanda differentia antiquæ & novæ ordinationis. In nova ordinatione cum cornua in acie ex Romanis civibus ordinarentur, totidem acies inde existerent. Ex cornu utroque duplex si media acies non esset interjecta, cum hac vero triplex. Si hoc idem fuisset cum cornua ex Sociis constabant, & per *Hastatos* & *Principes Triariosque* instruebatur acies non triplex sed plane novemplex, ut jam dictum est, acies emerisset. Cornu igitur dextrum & cornu sinistrum illo tempore, quo ex Sociis Latini nominis auxilia petebant Romani, de Sociali exercitu quo latera utrimque Romanæ aciei quasi alis muniebantur ac protegebantur, accipi debet. Nec audiendus Lipsius, qui petit vel unum sibi locum monstrari in quo accipiat *cornu* ea significatione, qua peculiariter Socii notantur. Scire se dicit, & nimis meminisse *cornu dextrum*, & *cornu sinistrum* passim legi in acie, sed tam de legionibus quam de Sociis, nec de istis seorsim. Immo de istis eam vocem peculiariter sumi locus hic Livii testatur: *Romani mediam aciem, Latini cornua tenuerunt*. Et quid disertius huic rei probandæ adferri potest quam quod Polybius Sociorum exercitum in duas partes dividi solitum apud Romanos suo tempore scribit, *eis τὸ δεξιὸν κέρας, καὶ τὸ αἰώνιον*. In *cornu dextrum* & *sinistrum*? Nec alio nomine melius Latine verteris, cum Livius ubique sic vocet, nec usquam apud illum nomina illa *cornu dextrum*, & *cornu sinistrum* in acie interpretari quis possit, nisi de Sociorum copiis, id est Latinis. Scio *Alam* sæpe idem significare quod *cornu*, & indifferenter pro eodem utraque hæc vocabula

cabula usurpari, sed illud etiam novi, *Alam* proprie aliud esse quam *cornu*, & de iis Auxiliariis sumi qui utrumque ad cornua adponebantur. Unde & *Alares cohortes* pro Auxiliariis, & *Alarii* absolute apud Cæsarem *Auxiliares*, & à legionariis eo nomine distincti. Sed & equites qui utrumque in cornibus locabantur, *Alarii* etiam dicebantur, & *equitum Ala*, cum tamen *cornua equitum* nusquam legamus. Vegetius lib. II. cap. I. *Equitum Ala dicantur ab eo quod ad similitudinem alarum utrumque protegant aciem*. Atqui protegebant illi cornua ab utraque parte exercitus. Ergo *Ala* etiam extra cornua, utpote cornibus adpositæ tam equitum quam peditum Auxiliarium, vocabantur. Unde & utrisque nomen *Alarii*. Apud Cæsarem nullibi reperias *Alam dextram* aut *Alam sinistram* pro cornu dextro aut sinistro, sed semper isto modo. Cornua tunc ex Romanis legionibus componebantur, ut olim ex Sociorum copiis. *Socii* autem & *Auxilia* diversa. *Auxilia* ab alienigenis, & externa, & mercede conducta: *Socii* Latini nominis, & gratuitam operam excepto frumento Romanis dabant, suo sumptu militantes. Plautus ita *Socios* cum *Auxiliis* iungit, ut faciat diversa. In Cistellaria Aët. I. Scen. III.

Servate vestros Socios veteres & novos,

Augeate auxilia vestris iustis legibus,

Perdite perduelles.

Ut servant Socios suos & augeant Auxilia, iustis legibus id est iuste imperando, *Auxilium* ibi deus exigit. Sic enim Socii conservantur, & exteriliberi populi libenter auxilia submittunt iis quos vident iustis legibus erga Socios & externos uti. Socii præterea iisdem armis utebantur & ordinibus cum Romanis, ut ex hoc loco Livii constat, & legiones similiter habebant. *Romana*, inquit, *acies unius prope forma fuit, & hominum & armorum genere. Dua legiones Romana, dua Socium Latini nominis erant*. Diserte indicat nihil dissimile in legionibus Sociorum fuisse, quod ad arma attinet, & ordines. Idem libro VIII. clarius docet, Latini nominis Socios *nihil dissonum à Romana republica habuisse præter animas*. Discordia tunc inter Latinos & Romanos inciderat, atque inde bellum, quod ille auctor civili ideo comparat. Habebant Latini suos *Hastatos*, suos *Principes*, & suos *Triarios* æque ac Romani. Sic enim eo loco scribit idem Livius de pugna quæ inter Latinos & Romanos
tum

tum exorta est: *Scribebantur hæc quatuor fere legiones quinis millibus peditum, equisibus in singulis legiones trecentis. Alterum tantum ex Latino delectu adiciebatur, qui ea tempestate hostes Romanis erant, eodemque ordine instruxerant aciem. Tum nec vexilla cum vexillis tantum, universi Hastati cum Hastatis, Principes cum Principibus, sed centurio quoque cum centurione si ordines turbati non essent, concurrendum sibi esse sciebat.* Hoc quod asserit Livius de paribus armis & ordinibus Sociorum Latini nominis & Romanorum, testimonio etiam Polybii confirmari potest, ita scribentis lib.iii. de Tiberii exercitu, & ejusdem ordinatione ab eo facta, pro more qui tunc sollemnis ad pugnam instruendam: *Τὰς δὲ πρὸς πρηνέβαλε καὶ τὰς εἰς θισμόνας παρ' αὐτοῖς τάξεις, ὅντας μὲν Ῥωμαῖοις εἰς μυρία ἑξακιμῖαι, τὰς δὲ συμμάχους εἰς δισμύριας.* *Pedites vero instruxit juxta institutos ac sollemnes ipsis ordines, Romanos quidem milites ad millia sedecim, Socios vero Latini nominis ad millia viginti.* Quod satis tunc notum erat cornua ex Sociis ordinari solita, mediam aciem ex Romanis peditibus, ideo non id explicavit, nec distinge exposuit, cum simili modo ordinarentur Socii in cornibus, & Romani in media inter utrumque cornu acie, per *Hastatos* nimirum, *Principes*, & *Triarios*. Meminit sane & paulo post cornu utriusque, quod equites protegebant, peditibus utrimque ad cornua circundari. *Μετὰ δὲ ταῦτα*, inquit, *ᾧ τῷ ἑκάστον θύει τὸ κέρας ὄντας εἰς περακιμῖαις ἐπὶ τοῖς ὑπεναυλίοις σβαρῶς, ἐν ταῖς καὶ βάδιον ποιεῖμεν πλὴν ἑφοδόν.* *Post illa equitibus utrimque ad cornua positis qui ad quatuor millia fuere, in hostem incedere magna cum gravitate cepit, ordinatim & pleno gradu impressionem faciens.* Idem in describenda pugna qua Scipio cum Hannibale acie contendit, ne Latini quidem nominis Socios nominavit, sed solos Romanos, cum tamen certum sit non sine Sociis instructam illam ab Scipione aciem, & cornua eos de more tenuisse, Romanis mediam aciem obtinentibus. Ita enim scribit Polybius: *πλὴν ὁ μὲν Πόπλιος ἔθηκε πρὸς τάξεις τῶν ἰδίων δυνάμεων τὴν πρώτην τάξιν. Πρώτη μὲν ᾧ τῷ ἀσπίδος, καὶ τὰς τέτων σημαίας ἐν ἀσπίδασι, ἡ δὲ τῶν ᾧ τῷ πείγχιπας.* *Et Publius quidem ita aciem instruxit, primo loco constituit Hastatos, eorumque manipulos cum intervallis, deinde Principes.* Tertio loco statuit nimirum *Triarios*, ut apud eum sequitur. Meminit & *cornuum* paulo post, & lævo quidem præpositum ait Gajum Lælium cum equitibus

bus Italicis, Masinissam cum Numidis quibus præerat. Si quis putat nullos habuisse pedites Sociorum Scipionem in illo exercitu, sane errat, quem nonnulli auctores teste Livio perhibent, triginta millia peditum in Africam transportasse. Errant etiam si qui existimant in utroque cornu aciei à Scipione instructæ nullos fuisse præter equites. Immo pedites Sociorum Latini nominis cornua tenuerunt, quibus adjuncti equites in eadem serie. Sed de peditibus Socialibus ideo omisit Polybius & de utroque cornu ab illis composito, quia nunquam aliter ordinari solerent acies Romanæ quam per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios*, Romani militis qui in media acie collocarentur, ac per eosdem *Hastatos Principes* & *Triarios* è Sociis Latini nominis qui in cornibus disponderentur. Præterea hæc etiam ratio afferri potest cur cornuum Socialium non meminisse soleat in acie Romana instruenda quod illa cornua ex Sociis adpendices tantum esse viderentur Romanorum aciei. Nam si seorsum essent numerata illa cornua quasi quæ totidem acies facerent separatas, non triplex acies Romana, ut diximus, inde exiisset, sed plane novemplex. Polybius autem semper & reliqui auctores *ῥεῖς* tantum *πῆχες* in acie Romana numerant, primam *Hastatorum*, secundam *Principum*, at tertiam *Triariorum*. Romani vero scriptores *triplicem* eam aciem appellant ut Livius. Similiter idem Polybius lib. xiv. ubi pugnam commemorat Scipionis cum Hasdrubale in Hispania commissam, ita exercitus Romani sub Scipione instructionem describit, ut nec Sociorum meminerit in utroque cornu collocatorum, cum tamen satis liqueat & Socios in ea acie fuisse, & utrumque cornu, ut fieri semper solebat, occupasse. ὁ μὲν γὰρ, inquit, πόλις ἀπλῶς καὶ τὸ παρ' αὐτοῖς ἐθῆκε. πρῶτον μὲν τὰς τ' ἀσκέτων σημύδας, ὅτι τὰς πρώταις τὰς τ' Περγικίων, τελευταίας δὲ ἐπέθηκε κάππιν τὰς τ' τριαρίων. *Publius in acie ordinanda sequutus est omnino Romanorum consuetudinem. Nam primos constituit Hastatos, post eos Principum manipulos, à sergo eorum Triarios posuit qui postremam aciem clauderent.* His verbis hoc voluit dicere, Romanorum *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* in media acie fuisse à Scipione collocatos, Sociorum autem Latini nominis manipulos *Hastatorum*, *Principum* & *Triariorum* in cornibus positos. Addit in iisdem cornibus lævo quidem equites Italicos constitutos, dextro Numidas cum Masinissa. τῶν δὲ ἰπποέων

ἔτι.

ἔδυσ' μὲν Ἰταλικὸς Πηλὶ τὸ δεξιὸν ἔθηκε, τὰς δὲ Νομάδας καὶ Μασσαγέων
 Πηλὶ τὸ λαϊὸν. Fallitur quisquis opinatur cornua in illa acie nihil
 præter equites habuisse. Habuit etiam adjunctos pedites ex So-
 ciis Latini nominis, sed eos tacite comprehendit Polybius dum
 aciem Romanam per *Hastatos, Principes & Triarios* instructam
 memoravit. Pugnae Cannensis hunc ordinem apud Romanos
 fuisse tradit Livius, *ut dextrum cornu Romani equites, deinde pedi-*
tes lævum cornu, extremi equites Sociorum intra pedites ad medium
juncti legionibus Romanis tenuerint. Tametsi verbis Livii satis ob-
 scure exposita sit illa ordinatio, hoc tamen eum voluisse constat.
 Dextrum cornu ex equitibus Romanis, & peditibus Socialibus
 fuisse compositum, mediam aciem tenuisse Romanos. Huic ad-
 junctos in lævo cornu pedites Sociorum, quod etiam extremi
 id est post pedites positi tenuerint Sociorum equites. Polybius
 hanc aciem describens more suo non separavit pedites Romano-
 rum à peditibus Sociorum, neque cornua quæ pedites tenebant
 à media acie. Simpliciter tantum scripsit equites in cornibus fuisse
 locatos, pedites in medio, tam legionarios Romanos nimirum
 quam Sociales. Hæc ejus verba sunt: τὰς μὲν ἐν τῷ ῥωμαίων ἱππέϊς
 παρ' αὐτὸν τὸ πρῶτον Πηλὶ δὲ δεξιῷ κέρατι κατέστησε, ἔδυσ' δὲ πρὸς σπε-
 ρχέας τὰ τοιαῦτα Πηλὶ τῆς αὐτῆς ὁμήϊας ἐξέτηνε πυκνοτέρως ἢ πρόθεν τὰς σπείρας
 καθιστάνων καὶ πρὶν πολλὰ καταλάσσειν τὸ βάθος ἐν τῇ σπείρει δὲ μελιώπας τὰς
 δὲ συμμάχων ἱππέας εἰς τὸ λαϊὸν κέρασ παρενέβαλε. Et Romanos quidem
 equites prope ipsum flumen in dextro cornu constituit, pedites verò con-
 tinenter eis adjunctos aquata fronte extendit, magis confertis quam
 promore ordinibus, & multiplicata altitudine in iis manipulis qui in
 fronte erant constituti. Sociorum autem equites in cornu sinistro instru-
 xit. Cum de manipulis in fronte collocatis dicat multiplicatos
 in iis ordines fuisse, satis ostendit & Sociorum in cornibus collo-
 catos manipulos peditum, qui non ita multiplices habuerunt or-
 dines. Vir Græce doctissimus & rei militaris antiquæ ac Roma-
 niæ peritissimus, non secus illa Polybii verba latine reddidit quam
 si utriusque rei in summa versaretur ignorantia. *Frons* & *μέτωπον* de
 media acie apud auctores Græcos Latinosque sumitur, quæ inter
 duo cornua posita est. Ita & Cæsar alicubi *frontem* appellat mediam
 aciem inter duo cornua collocatam. Sic enim capiendum est quod
 scribit lib. II. de Bel. Gall. *At totis fere à fronte & à sinistra parte nu-*

M

datis

dati castris, cum in dextro cornu legio duodecima, & non magno ab ea intervallo septima constitisset. Cum eo tempore quo pugna illa pugnata est de qua narrat Polybius tantundem Sociorum ac civium in exercitu Romano esset, & Socii cornua semper tenerent, in duo cornua divisi, non æqualis numerus Sociorum in singulis cornibus esse potuit ac civium in media acie, sed alterum tantum in hac quam in illis fuit. Si ergo æque extendissent longitudinem cornuum ac mediæ aciei, duplo major altitudo in media acie fuisset quam in cornibus. Sin autem vellent æquali latitudine construere ordines in cornibus ac in media acie, tum frons cornuum non in parem longitudinem porrecta esset, sed duplo minorem, quam media erat acies. Contrarium factitatum est in acie Scipionis quam paulo ante ex Polybio retulimus. Nam multiplicati in ea ordines frontis, id est mediæ aciei fuere, & duplo plures, facti quam in singulis cornibus. Hoc modo longitudo par fuit singulorum cornuum, atque aciei quæ in fronte inter duo cornua patebat.

C A P. IX.

De cornibus Romana aciei veteris & nova, ut illa in veteri Sociis data sunt, in nova civibus.

VT ex iis quæ supra notavimus constat, eo tempore quo Romana respublica libertate florebat, semper in acie instruenda cornu utrumque assignatum est Sociis Latini nominis. Inter eos ac proprios cives Romani non magnam differentiam ponebant, quantum ad fidelitatis attinet fiduciam. Eadem cum lingua & iisdem institutis tenerentur, eodem etiam genere armorum atque eadem disciplina in bello utebantur. Ubi Italia civitate donata est, tum cornua data sunt civibus Romanis, quæ antea à Sociis Latini nominis obtineri solebant, mutata tamen ordinum & instructionis ratione, cum eadem nomina retinerentur. Quod ut melius clarescat, comparemus ordinationis antiquæ institutum cum novo. Sumamus eam ipsam ordinationem Livio memoratam lib. xxxvii. quam adhibuere Romani duces contra Antiochum: *Romana acies unius prope forma fuit, & hominum & armorum genere. Duæ legiones Romana, duæ Socium Latini nominis.*

nominis erant. Romani mediam aciem, cornua Latini tenuerunt. Hastatorum prima signa, deinde Principum erant, Triarii postremos claudabant. Hæc vetus ordinum in acie constituendorum apud Romanos ratio. Ubi Socii illi Latini nominis civitatem acceperunt, in locum eorum succedere Auxiliares exteri, sed ipsi cives Romani ad cornua in acie obtinenda translati, cum alia, ut dixi, ordinandi ratione. Cum enim Socii cornua tenerent, Romana civium acies medium obtinere consueverat, quæ & sola proprie acies dicebatur, ac triplex erat ex *Hastatis* qui primam, *Principibus* qui secundam, & *Triariis* qui tertiam constituebant, alteris post alteros positis. Similiter & in cornibus Socii eodem ordine collocabantur, cum in *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* haud secus ac Romani divisi essent. Præterea æquata fronte cornua Sociorum instruebantur cum media acie Romana. Ipsi etiam equites tam sociorum quam Romani cum cornibus applicarentur, ut plurimum solebant æquata fronte cum peditibus constitui, ut ex multis locis Polybii liquet. Quinimmo & ipsa Auxilia externa, si quando cornibus adungerentur, in eadem linea longitudinis collocabantur, ut in illa ipsa acie factum est, de qua nunc agimus. Livius: *Extra hanc veluti justam aciem à parte dextra consul Achæorum cetratis immixtos Auxiliares Eumenis, tria millia ferme peditum æquata fronte instruxit.* Hoc est quod lingua sua solet dicere Polybius, *Ἐπὶ μίαν ὀψίαν ἐκτίθεν*, vel *Ἐπὶ τὴν αὐτὴν ὀψίαν*. Quod non aliter Latine debuit reddi quam *æquata fronte in longitudinem extendit*. Quod fit cum in eadem linea quasi dirigitur frons aciei. Illi Eumenis Auxiliares, *Alarii* proprie fuere, alæ instar ad cornua adplicati, & extra cornua. Atque hæc proprie differentia inter *Alas* & *cornua*. *Cornua* ante sociorum Latini nominis, postea & militum Romanorum: *Alæ* quæ cornibus adungebantur, Auxiliorum externorum. Livius tamen *Alam* sæpe nominat pro cornibus, id est pro iis partibus in quas dividebatur Sociorum exercitus, quæ Polybio *κέρατα* dicuntur. Sed unde id nomen hausit Græcus auctor si Latinis ipsis eo sensu usurpatum non fuit ejus ætate vocabulum *cornu*? In re quæ propria erat Romanorum exponenda, non est verisimile aliam vocem Græcam posuisse quam qua recte exprimeretur Romana. Si *Alam* tunc dixissent Romani alteram partem ex duabus in quas dispartiebatur exercitus So-

ciorum, *ἡπὸν* æque bene reddere potuit, ut *ἡπὸν*. Nam & *ἡπὸν* Græcis extremitatem quamlibet significat. Sed cum *ἡπὸν* vocavit partes duas exercitus Sociorum, ex eo scire est, & *cornua* Latinis de duabus illis partibus appellatis. Putavit, si forte, Livius *Cornu* appellationem extra aciem, & instructionem locum non habere, cum *Ala* etiam diceretur certus equitum numerus, alibi quam in acie. Quidni & peditum? Sic *Alas* vocaverit partes exercitus Socialis, etiam in castris positas, etiam in agmine incedentes. Idem tamen etiam *Ala* nomen usurpavit pro cornu in acie instructa, lib. xxv. *Prima legio & sinistra Ala primo instructa, & in longitudinem porrecta acies.* Ibi *sinistra Ala* pro sinistro cornu Sociorum vel pro altera parte Socialium copiarum quæ sinistrum cornu solita esset tenere. Alibi *duas Alas* dixit pro duobus cornibus sive partibus in quas divisus erat exercitus Sociorum, e Latino nomine. Idem quod alii dicere solent, *à cornibus circumvenire*, ab *alīs* dixit libro eodem: *Cætera à fronte pulsa, à tergo atque aliis circumventa acies.* Et quod utriusque vocis indifferentem notionem magis arguit, *cohortes Alares* lib. ix. posuit pro cohortibus Sociorum, cum *Alares cohortes* & *Alarii* non nisi de Auxiliis externis ab auctoribus usurpari soleant. Tempore quo militia antiqua viguit, *cornua* Sociorum erant, non *Ala*. *Alæ* de externis Auxiliis dicebantur, non *cornua*, quia *Ala* adponi & adplicari consueverant cornibus. Temporibus quibus Livius scripsit, *cornua* non amplius Sociis dabantur Latini nominis, quia nulli tum fuisse Socii Latini in exercitu Romano. Quandoquidem verò, & *cornua* tunc temporis solis civibus Romanis qui militabant, relinquebantur, idcirco & *Alas* de externis Auxiliis quibus solis utebantur, dici mos fuit. Sed & olim ita nuncupabantur proprie, quia *cornua* propria erant Sociorum Latini nominis, qui longe distabant ab exterorum Auxiliaribus copiis. Hic ergo etiam distinguenda vetus militia à nova, quantum ad *Alarum* appellationem attinet. *Ala* olim tam de equitibus quam de peditibus Sociorum, quia eadem cum cornu. Tempore etiam Cæsaris *Alarii equites* ac *pedites* de Auxiliaribus dici obtinuit. Atque ipse ita loquutus est. Sed postea *Alæ* tantum equitum dictæ, & *Alarii* equites pro Auxiliariis. Et hi *Alarii equites* sive Auxiliares distinguebantur à legionariis, qui legionum corpori velut adnexi erant.

erant. Apud Tacitum & alios ejusdem ævi scriptores, quoties meminerunt *Alariorum equitum* de Auxiliariis ii sunt intelligendi. Immo ubicunque *Alam* nominant, certum est de equite Auxiliari accipi debere, non de peditē. Et male viri docti dubitant in Agricola, utrum *Ala* in his verbis de peditē intelligenda sit, an de equite: *Ordonicum civitas haud multo ante adventum ejus Alam in finibus suis agentem prope universam obstruērat*. Nusquam *Alam* peditum apud illius temporis scriptores legere est, nec *Alarios* pro peditibus Auxiliorum. Infinitis locis *Alarum* mentio occurrit in veteribus inscriptionibus quæ *Alæ* equitum sunt. Ubi sermo est de peditibus Auxiliariis, *Cohortium* nomine fere semper appellantur. Loca congerere ex auctoribus tædiosum esset, & alii operi id reservatur. Nunc veterem & antiquam militandi & instruendi exercitus rationem per cornua conferamus & componamus. Iisdem nominibus res magnopere diversæ constiterunt. Duo olim cornua in exercitu Romano, cum acie quæ in medio, quæ & media acies, & sola proprie acies nominabatur. In ista vetere ordinatione acies illa media, prima etiam acies fuit, quia sola acies dicta est, utpote ex militibus Romanis constans. Media illa acies triplex etiam fuit, ex *Hastatis Principibus* & *Triariis* constructa, qui trifariam divisi tres etiam acies, alia quippe aliis superstructas componebant. Si cornua Sociorum singulas etiam ac suas acies concinnassent, totidem ex singulis similiter cornibus exiissent, quia eodem modo copiarum tripertito divisæ, & in triplicem aciem constructæ in prælium procedebant. Sic novemplex acies Romana semper instructa esset, ut jam dictum est, non triplex. Atqui nunquam majore numero quam trino acies Romanas illo ævo compositas stetisse legimus, quo per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* instructæ sunt. Livius lib. XXIII. *Triplex stetit acies Romana, peditum pars ante signa locata, pars post signa accepta, equites cornua cinxere*. An triplicem dicemus fuisse, ex duobus cornibus, & media acie compositam? Atqui certum est, mediam aciem solam extitisse triplicem, ex *Hastatis*, *Principibus*, & *Triariis*. Si triplex media acies, & cornua singula suam quoque ac peculiarem aciem construxerunt, sic quintuplex fuerit acies Romana. Dicit autem Livius in illa triplici acie Romana, peditum partem ante signa locatam, par-

rem post signa acceptam. Sic duplex tantum fuerit acies ex *Antesignanis*, & *Postsignanis* contexta. Sed de Antesignanis & Postsignanis paulo post. Nunc de cornibus & triplici acie Romana cum ipsis cornibus, rem exponamus. Alterutrum dicendum est, aut cornua Sociorum bina cum ipsa media acie Romana unam aciem confecisse, aut absque cornuum spectatione quæ veluti extra aciem erant, solos Romanos milites in acie media locatos eam triplicem constituisse, trifariam utpote divisos, in *Hastatos*, *Principes* & *Triarios*, qui totidem acies instructi ad prælium dabant. Et hoc verum. Nam ut Alæ Auxiliorum in recenti ordinatione acies per se separatas non condiderunt, ita nec in vetere cornua Sociorum, qui illius temporis Auxiliares dabant Romanis copias. In vetere militia cornua, inquam, non comparabantur inter acies, & media illa ex Romanis militibus composita, & proprie acies dicta, cum triplex esset, quæ in fronte erat, prima numerabatur. Hinc apud Livium quodam loco, qui nunc non succurrit, cum spatium, instante hoste, non esset ad instruendam aciem, præpostero ordine dextera Ala, id est dextrum Sociorum cornu in prima acie locata est. Hoc est mediam aciem tenuit, cum dexteram partem obtinere deberet. At in militia, qualis sub Cæsare vigeat, cornua numerabantur inter acies, quia ex Romanis militibus æque instruebantur, ac media. Sed & dextrum cornu pro prima acie computari solebat, media pro secunda, sinistrum cornu pro tertia vel postrema. De dextro cornu pro prima acie computato locus Cæsaris evincit lib. II. Belli Gallici, ubi sic scribit: *Cæsar ab decima legionis cohortatione ad dextrum cornu profectus ubi suos urgeri, signisque in unum locum collatis duodecima legionis milites confertos sibi ipsis ad pugnam esse impedimento vidit.* Paulo post primam aciem appellat, quod hic dextrum cornu vocaverat: *In primam aciem processit, Centurionibusque nominatim appellatis reliquos cohortatus, milites signa inferre & manipulos laxare iussit, quo facilius gladiis uti possent.* Si in dextro cornu prima acies ponitur, necesse est ut proxima quæ media est, secundæ aciei nomen invadat, & sic tertia acies in lævo cornu consistat. In hac nova ordinandi ratione sæpe omissa media acie, sola cornua dextrum lævumque instruebantur, cum duplici tantum acie, non triplici decernere vellent. Tunc sinistrum cornu secun-

secundæ atque etiam postremæ locum habuit. Apud antiquæ militiæ sæculum, interdum etiam cornibus pugnabatur dextro ac sinistro, absque ulla media acie. Quod ex pluribus locis Livii constat. Sed cum supra docuerimus illo tempore cornua fuisse Sociorum, mediam Romanorum, ubi media acies nulla fuit, sed sola cornua, an Socios solos tum fuisse in exercitu Romano dicemus? Non sane, verum id quod obvium est, Socios fuisse tunc in exercitu nullos, sed ex solis Romanis constituisse aciem ex duobus tantum cornibus compositam. Exemplum unum & alterum ex Livio producam, ut de eo quod dicimus constet. Is lib. x. pugnam commemorat, quæ inter Romanos & Samnites pugnata est. Galli cum Samnitibus erant contra Romanos. Ita instruxerunt aciem ut Samnites in sinistro cornu, Galli in dextro constituerent. Ita eorum exercitus duplici tantum acie stetit, dextro cornu & sinistro. Romani similiter aciem suam in dextrum cornu & sinistrum dividerunt, quæ totidem hostium cornibus opponerent. Videntur nullas tam habuisse in eo exercitu Sociales copias, sed solas legiones suas Romani. Ita hæc narrat: *Dextro cornu Galli, sinistro Samnites constiterant. Adversus Samnites Fabius primam ac tertiam legionem pro dextro cornu, adversus Gallos sinistro Decius quintam & sextam instruit.* Nulla hic mentio Sociorum. Legiones cum his numeralibus cognominibus Romanæ erant non Sociorum. Nulli ergo Socii in acie illa Romana fuerunt. In prælio quod inter Fidenates & Romanos commissum est, Veientes qui cum Fidenatibus erant dextrum cornu tenere. Fidenates in sinistro constirere. Tullius similiter exercitum suum bipertito divisit, & opposuit Veienti sinistram suam cornu: Albanos in dextro consistentes, contra Fidenates direxit. Longa tamen differentia extitit in hac divisione præcæ ordinationis in dextrum & sinistram cornu, & novæ instructionis. Interdum cum simplex est acies, nec in duas aut tres partes in fronte distincta, nihilominus tamen cornua ei attribuunt scriptores. Ut in pugna Romanorum cum Latinis quæ à Livio lib. viii. describitur, Romani simplicem aciem habuere, quia Socii Latini ipsorum hostes tunc erant. Sed cum ipse Livius in Romanorum acie exponenda, non memoraverit in plures partes eam in fronte divisam fuisse, meminit tamen *cornuum* in ipso certamine. *Instructis*, inquit, *sicute*

ante dictum est ordinibus processere in aciem, Manlius dextro, Decius laevo cornu praeerat. Nullam facit mentionem mediæ aciei. Quomodo igitur acies illa una & simplex videri potest quam in duo cornua quasi duas acies manifestum est ex verbis auctoris fuisse divisam? An illa duo cornua duæ extremæ fuere partes sive anguli simplicis aciei? Ita certe oportet. Nam & *κίεας* interdum Græcificum sunt. Et in phalange Macedonica quamvis in fronte distincta in partes non esset, suum tamen habuit dextrum cornu ac sinistrum. Idetiam manifestum colligitur ex acie Catilinæ, sicut ea instructa narratur Sallustio in Catilinario: *Octo cohortes in fronte constituerat, reliqua signa in subsidiis collocaverat.* Simplex illa in fronte acies, non duplex, nec triplex, utpote quæ in duo cornua & mediam divisâ non esset. Et tamen Sallustius meminit paulo post dextræ & sinistræ partis: *C. Mallium in dextra, Fesulanum quemdam in sinistra parte curare jubet, ipse cum libertis & colonibus propter aquilam assistit.* Duas partes sinistram & dextram aciei vocat, quæ quasi ejus duo cornua fuere. Ipse in medio propter aquilam constitit, quasi in media acie, cum una tamen esset non triplex. Ita ergo cum Livius aliis locis cornu dextri & sinistri meminit in simplice acie Romana, de dextra ac sinistra ejus parte ea sunt accipienda. Auctor de bello Africano in simplici acie, ut diserte eam instructam à Cæsare memorat, utriusque cornu meminit his verbis: *Interim Caesar aciem dirigit simplicem ut poterat propter paucitatem. Sagittarios ante aciem constituit. Equites dextro sinistroque cornu opponit.* Sed de his iterum infra. In nova aciei instruendæ ratione dextrum & novum cornu duas acies faciebant separatas. Et qui eo modo exercitum instruebat dux, *duplici acie certare dicebatur.* Quod ex versibus Tibulli supra allatis liquet:

Seu libeat duplici sejunctim cernere marte

Dexter uti laevum teneat, dextrumque sinister


Miles, sitque duplex gemini victoria casus.

De acie duobus cornibus instructa, & sic duplici facta intelligendum esse patet. In vetere ordinatione si duo cornua pro duplici acie numerata essent, omnis acies quæ eo tempore instruebatur, cum etiam divideretur in duo cornua, non duplex tantum fuisset, sed sextuplex. Nam singula cornua triplicia fuere ex *Hastatis, Principibus,*

pibus, & *Triariis*, in latitudinem constructa. At nemo unquam Latinus auctor nec Græcus de rebus Romanis tractans, *sextuplicis aciei* meminit. At si illa acies in duo cornua bipertita, mediam etiam aciem habuerit, ut frequentius factum est, tum *novemplex* acies exurget. Auctores autem talis aciei nusquam meminerunt, cum tamen si cornua bina in exercitu Romano totidem acies separatas efficiant, totidem acies, id est novem omnino inde exoriri necesse sit, quandoquidem non aliter ordinatio tunc temporis procederet, quam triplex per *Hastatos*, *Principes* ac *Triarios*. Si media igitur acies triplex quæ ex civibus, singula autem cornua triplicia quæ ex Sociis, sic novem acies ex duobus cornibus triplicibus, & ex media triplici emergant. Multum itaque refert, ut intelligatur utrum acies in duo cornua fronte æquata quasi in duas partes divisa sit atque intervallis distincta, an illa duo cornua sic separata habeantur ut duas diversas acies constituent, quorum altera pro arbitrio ducis seorsim adversus hostem promoveri possit, altera ab hoste retrahi. Primo casu cum frons aciei æquata in duas partes, id est in duo cornua vel etiam in tres partes, si media acies inter utrumque cornu detur, hæc duæ vel tres partes ad eandem lineam directæ simul moventur in hostem, simul se recipiunt, & ad idem signum nutumque imperatoris eodem omnes tempore pugnam incipiunt, & pugnare desinunt. Sic in exercitu Romano instructo ac trifariam diviso contra Volscos ductu Q. Fabii, ita mediam aciem hic imperator ex Romanis inter duo cornua Sociorum instituerat, ut medius cum legionibus Romanis signum inde observare juberet, quo pariter & Socii rem inciperent, & pedem referrent, si receptui cecinisset. In posteriore vero instructione qua acies ita disparantur, ut æquatam non habeant frontem, sed altera subduci, altera produci in hostem alio atque alio tempore queat, tum totidem acies intelligendæ sunt quot partes inæquali fronte habentur constitutæ. Antiqua militia priore modo fere semper acies ordinabat fronte ex æquata ad eandem lineam rectam, quamvis in duas aut tres partes distinguerentur. Hujusmodi acies unius ferme fuit formæ quæ eodem tempore in hostem ex tribus partibus procedebat, & quasi ad eandem lineam dimicabat, haud secus quam si nullis intervallis foret in fronte distincta. Phalanx Macedonum talis

N

fuit



fuit quæ interdum in duas partes in fronte dividebatur, id est in cornu dextrum ac sinistrum, interdum in quatuor cum singulæ partes *φάλαγγες* & *φάλαγγαρχαί* dicebantur. Interdum etiam in decem, ut in pugna Antiochi factum contra Romanos sub duce Domitio. Nemo dixit phalangem Macedonicam ita distinctam intervallis, plures acies ex se dedisse separatas. Una erat acies intervallis frontem pluribus aut paucioribus distinctam habens, quæ omnibus suis partibus æqualiter in hostem procedebat. Talis acies fuit Romanorum contra Antiochum instituta, quam licet mediam cum duobus cornibus, ut triplex videretur, & duplici subsidio à tergo tam in cornibus quam in medio suffultam. Livius tamen pro una acie habet & quidem justa. Eam & unius formæ fuisse scribit. Quod unius formæ est, unum etiam corpus constituit, quia omnibus suis partibus & membris pariter & uno tempore movetur. Plures vero acies separatæ, & diversis temporibus ac locis in hostem incitandæ, ut non unius formæ sunt, ita nec unius corporis censentur, cum diversa efficiant corpora, & diversos habeant motus. Romana acies, hoc est illa quæ ex Romanis civibus composita erat, & inter duo cornua Sociorum semper locari consueverat, quamvis distinctam in plures partes intervallis haberet frontem, simplex fuit ut æquali fronte, quantum ad faciem obversam hosti attinet, triplex autem à tergo, *ἡστας* sequentibus *Πριγκίπιδες* & *Πριγκίπες Τριarii*. Julius Africanus cap. LXVI. περὶ φάλαγγος διαπομπῶν, de intervallis aciei, peditum exercitum ex tribus legionibus componit, hoc est ex triginta cohortibus quingenariis quæ intervallis in fronte distinguebantur, quibus quini equites καὶ ζυγὸν intrantes & exeuntes transmitti possent, cum tamen una acies & simplex esset, non multiplex. Ut autem sciremus intervalla illa non facere ut multiplex acies videretur, eas triginta cohortes sive πεντακοσιαρχίας ordinatas esse dicit εἰς ὡς ἀτάξιν ὀψῆαι, id est εἰς πρὸς ὥπλων ἢ μέτωπον τῆς φάλαγγος ἀνακεχωρισμένας ἀλλήλων. Æquatam frontem illius aciei fieri solitam significat, ac proinde unius formæ esse aciem ac simplicem. Sed verum est φάλαγγος nomine eo loco intelligere Africanum phalangem Macedonicam cum ei tribuat τριάκοντα δύο πεντακοσιαρχίας, quæ numerum eum peditum efficiunt quo phalanx constabat, nempe decem & sex millium. Triginta autem πεντακο-

σιαρ-

παρχίας sive quingenarias cohortes in fronte collocat, duas ad latera, singulas ad unumquodque latus, *ἐν δεξιᾷ καὶ ἀριστερᾷ ὁμήρους* γῆ, ut Græci Tactici vocant. Quod infra explicabimus.

C A P. X.

*Qua nota dignosci debeat utrum acies simplex sit an multiplex.
Simplicem esse qua unius forma est & aquata
fronte, & vocari quadratam.*

EX superiore observatione maxime elucescit qua nota dignosci debeat *simplex* acies, & *multiplex*. Si unius formæ sit ac frontis æquatæ, quamvis in plures partes divisæ quæ totidem videantur acies, pro una tamen ac simplice debet accipi. Sin ex partes ita longiore spatio separatæ habeantur, ut moveri etiam debeant non uno tempore sed aliæ post alias, aut in diversis locis rem gerere, tum totidem acies in ea instructione sunt cogitandæ quot partes factæ sunt. Inde variæ & multiplices existunt instruendæ aciei modi ac formæ, quæ simplex est in illa ordinatione in qua frons omnium partium exhibetur æqualis, & eodem tempore pariter passu adversus hostem promovenda, quasi ad eandem lineam pugnatura. Simplex forma veteribus Romanis magis placuit, multiplex posterioribus. Illi omni loco & omni tempore eadem ferme forma ordinationis utebantur, & adversus omne genus hostium. Isti vero pro loco, pro copiis, pro genere hostium, pro genere armorum instructionem aciei variabant. Hoc est quod Græci dicunt, *τάξις ἢ ἑμία πλέμω, πλῆται ἢ, καὶ ἀλγίφοροι, καὶ ὁμήρους ὁμήρους καὶ ὁμήρους τὰς ἐραβδωμένους, καὶ ὁμήρους τὰς πόπας, καὶ ὁμήρους τὰς ἀντιπλεμίας*. Aliter instruenda acies fuit Romanis contra Parthos quam contra Macedonas. Aliter in locis montuosis & angustis, quam in planis & patentibus. Aliter cum magis equitatu valent, & cum peditatu. Aliter in paucitate copiarum, & in numeroso exercitu. Alia etiam instruendi forma expetit in levi armatura, & in gravi. His diversis generibus & ordinum variis modis magis usæ est recens Romanæ militiæ disciplina quam vetus. Hæc enim raro receptam, & usitatam sibi formam commutavit, nec nisi ex summa necessitate, sive castra metari oporteret, sive acie confligendum. Sed de castris infra. Nunc de acie tractandum. Vegetius

lib. III. cap. XX. septem genera esse tradit, quibus publica pugna committitur. Primum numerat, *quo fronte longa, quadrato exercitu pugnabatur*. Hoc genus est de quo Tibullus in versibus supra citatis:

Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen

Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo.

Huic generi pugnae usus erat cum simplex acies instrui debebat. At simplex acies tum formabatur cum duplex vel triplex fingi non poterat præ paucitate copiarum, ut ante docebamus. Nihil prohibebat tamen, & plures acies conjunctas æquata fronte constitui, & *in quadratum agmen*, ut loquitur Tibullus, *consistere*, si omnes ad unam lineam in fronte dirigerentur. Quo genere ordinationis semper usos constat veteres duces, cum per *Hastatos, Principes & Triarios* ordinatio procedebat. Media acies militum Romanorum, cum duobus cornibus Sociorum frontem æqualem ad eandem lineam examussim directam ostendebat. Si accederent & alæ Auxiliorum externorum cornibus addendæ, in eadem serie fronte cum aliis ad æquata adjungi solebant. Nunquam fere aliter, ut dixi, prisca militia ordines suos in acie expediebat. Quam longissime poterant, aciem exporrigebant, æquali fronte, in qua omnes uno eodemque tempore qui in primo ordine constituti erant, manum cum hoste conferebant. Hoc multis locis confirmat Polybius, quæ alibi producentur. Uno & altero hic contenti erimus, quo res apertius declaretur. *Εν μέτωπῳ κατὰ ἤσιν* hoc vocat, *in fronte constituere* universum exercitum, quod de æquali fronte accipiendum, libro III. *Τὰς δὲ λοιπὰς ἐν μέτωπῳ κατὰ ἤσας πρὸς τὴν βάδιν*. Et Scipio quidem procurrere jussis jaculatoribus, & cum his equitibus Gallis, reliquas copias in fronte direxit, & paulatim sic adversus hostem incessit. Idem fecit Hannibal, *τὴν μὲν κεχαλινωμένῳ ἵππῳ, καὶ πᾶν τὸ πείσιμον καὶ τὸ πρὸς ὥπον τάχος ἀπὸ τῶν πολεμίων*. Equitatum frenis utentem, & universum stabile agmen ubi in fronte instruxisset, hostibus occurrit. Hæc frontis ordinatio omnium copiarum, fiebat *τῇ μίᾳ ἐθέῳ*, ut loqui amat Polybius, & subintelligendum *γεαμνῶ*. Ad unam rectam lineam dirigebatur tota frons aciei in certamen descensuræ. Sic enim ordinatus exercitus in longitudinem porrectus æqualiter, & uno tenore movebatur tam ex cornibus quam ex mediâ acie, & contra

tra

tra hostem procedebat. Idem Polybius lib. iii. de instructione pugnae quae ad Cannas edita est: καὶ τὰς μὲν ἐκ τῶν μέζων χάρακας διὰ βιβάζων τὸν ποταμὸν εὐθέως παρενέβαλε. Τὰς δὲ ἐκ τῶν ἡτέρων συνάπλων τὰ πρὸς τὴν αὐτὴν εὐθεῖαν ἐξέταξε, λαμβάνων πᾶσαν τὴν ὀπίφάναν τὴν πρὸς μεσημβρίαν. Copias ex utrisque castris eductas conjunxit, & uno veluti rigore, ut loquuntur Gromatici auctores, continuatas in fronte direxit. Nec aliter illo tempore instructionis ordo procedebat, etiamsi ambo consules in exercitu simul essent, & copias suas conjungerent. Aequali enim fronte utriusque consulis legiones ordinabantur, junctimque in hostem pari gradu ibant. Cum bellum Romani in Samnio gererent, duobus simul consulibus, totidemque exercitibus, notat Livius non satis commodè instructos fuisse à parte Samnitum neque à parte Romanorum milites. Vitium vero Romanae tum ordinationis hoc fuisse observat, quod non pariter ducti sunt ambo exercitus, sed alter post alterum, cum nimirum prior Volunnus concurrisset, quam Appius ad hostem perveniret. Quo ex facto id acciderat, ut inæquali fronte congredierentur acies. Verba Livii quibus hæc narrat, leguntur lib. x. in hanc sententiam: *Ab neutra parte satis commodè instructi fuerunt. Nam & Samnitium dux Gallius Egnatius pabulatum cum cohortibus paucis, suoque imperio magis milites quam cujusquam ductu, aut imperio pugnam capebant. At Romani exercitus nec pariter ambo ducti, nec satis temporis ad instruendum fuit. Prius concurrat Volunnus, quam Appius ad hostem perveniret. Itaque fronte inæquali concursus est.* Minus commodè, nec legitime tum ordinatum fuisse vult Romanum militem quia bini exercitus consulum æquata fronte instructi non essent, sed alter prius concurrisset quam alter ad hostem pervenire potuisset. Cum sic concurratur, non eodem tempore pugna committitur, sed acie bipertita, non junctis copiis, nec æquata fronte instructis dimicatur. In aliis omnibus generibus quæ recensentur à Vegetio, præterquam in hoc uno quod primo loco commemoravit, inæquali fronte concurrunt acies. Nam aut alterum cornu ad hostem promovetur, altero reducto: aut duo simul cornua incitantur in hostem, media acie retracta: aut è contrario media acies in anteriora versus hostem procedit, cornibus postvorsum reductis. His omnibus modis & aliis quæ recensentur à

Tacticis, inæquali fronte ad congressum venit. At si duo cornua cum media acie in eadem linea constituentur, & pari gradu ducantur, æqualiter ab omni parte quam longa patet acies, in hostem incedentes, hæc fit depugnatio, quam *fronte longa, quadrato exercitu* Catonis verbis Vegetius instrui solitam perhibet. Ut ecce quatuor legiones duorum consulum in aciem huiusmodi quadrata & æquata fronte directam instructæ procedant. Harum quatuor legionum *Hastati* mediam componant aciem, inter cornua collocatam, eandemque primam, quia hæc frons erat totius exercitus. Quatuor legiones accedant ex Socialibus copiis, quarum binæ in dextro cornu consistant, binæ in sinistro. Similiter harum Socialium legionum *Hastati*, cum media acie *Hastatorum* Romani militis, æquali fronte ordinentur, & in unam dirigantur rectam lineam. Remotis *Hastatis* qui primam aciem & frontem exercitus componebant, si minus in pugna prospere rem gesserint, tum *Principes* tam legionum Romanarum quam Socialium in medium progressi, & pariter æquali fronte instructi pugnam capelebant. Hoc idem *Triarii* facere soliti, si & *Principes* retro cedere cogerentur, impares hostium vi sustinendæ reperti. Hanc solemnem sub prisca ac libera Republica Romana ordinandi exercitus ac pene perpetuam obtinuisse rationem Polybius ostendit his verbis ex lib. xiv. ὁ μὲν ἐν Πόλῃ αἰωλῶς κ' τὸ περ' αὐτῶν ἐθ' ἔθηκε πρῶτον μὲν πὰς τ' ἀσέτων σημαίας, Ἰπὶ ἡ τῶν τῶν πὰς τ' Πριγκίπων, πλὴν τῶν τῶν ἐπίσης καὶ πῶν πὰς τ' Τριαρίων. Notandum quod ait αἰωλῶς hanc illis ordinandi fuisse consuetudinem, quo verbo omnino hoc eis in more & usu extitisse intelligit. Εὐθισμένης τάξε, alibi vocat, *solemnes ordines aciei instruendæ*. Ab his ordinibus raro recedebant nisi cum aliqua necessitas ex loco vel ex hostili acie cujus forma resequenda esset, vel ex angustiis temporis cum parum spatii ad explicandos ordines haberent, mutare id cogeret. Cujus mutationis nos exempla aliquot in maiore ac legitimo opere de Re Militari proferemus. Diximus cur *æquata fronte* instructa hæc appellata sit ordinatio, nunc docendum cur *quadrata frontis* appellatio ei aptata sit. *Quadrato exercitu* dicit Cato. *Quadratum agmen* Tibullus. *Quadratam frontem* huius ordinationis Vegetius appellat. Quod non ita accipi oportet quasi tantundem in fronte militum quantum in-

introrsum habuerit, & sic æqualem longitudinem latitudini acies in quadrum ordinata protulerit. Quam Græci *παραγωνισμὸν πέξως* appellant. Eam & alio modo procedere ajunt cum numero militum quadratus ordo non efficitur, sed loci pedatura quod *ἐμβαδὸν* iidem Græci vocant. Nunquam hunc *παραγωνισμὸν* in acie instruenda Romani observarunt, nec eo sensu *quadratam aciem*, aut *quadratum exercitum* nuncuparunt, cujus latitudo æqualis esset in omnes aspectus longitudini, sive ex numero militum oriretur ea quadratura, sive ex loci facie. *Quadrata ligna* Latini dicunt de trabibus quamlibet longis, quæ lateribus tantum sint quadratis. Et *quadratum saxum* vocatur quod longius est quam latius, quamvis cubi figuram non ferat. In oblongo quod quadratum est, sic etiam dicitur. Et hæc forma est exercitus quadrati, cui satis est, ut hoc nomen gerat, frontem habere recta linea exæquatam, & ad extremitates angulos rectos. Quæ sic exæquatam frontem habebat acies, & rectos angulos ad extremitates, *quadrata fronte* esse dicitur Vegetio lib. III. cap. XXVI. *Qui multitudine & virtute precedit, quadrata dimicat fronte, qui primus est modus.* Hinc *acies quadrata* eidem Vegetio vocatur, quæ quaternos introrsum habet ordines, lib. I. cap. XXVI. ubi docet quomodo exerceantur tyrones, ut in acie ordines, & intervalla custodiant. In eo exercitio discebant primo tyrones quomodo in simplici ordine ita consistendum esset, ut nec nimium conferti sibi invicem essent impedimento, neque rursus nimium inter se distantes, rara & interluciente acie aditum hostibus qua ordines perumperent, darent. In simplici ordine hoc primum experiebantur, deinde in duplici, mox in quadruplici. *Quadratam hanc aciem* vocat, hoc est quaternis introrsum ordinibus constantem. *Producendi ergo, inquit, tyrones sunt semper ad campum, & secundum matricula ordinem in aciem dirigendi, ita ut primo simplex extensa sit acies, ne quos sinus, ne quas habeat curvaturas, ut aequali legitimoque spatio miles distet à milite. Tunc precipiendum, ut subito duplicent aciem, ita ut in ipso impetu, is ad quem respondere solent, ordo servetur. Tertio precipiendum ut quadratam aciem repente constituent.* In his verbis, ne fallaris, *acies* non est accipienda, ut vulgo sumitur, de exercitu instructo, sed de ordine uno instructionis. Idem ergo hic *acies* quod ordo. Sic in lege quadam

Con-

Constantini in Codice Theodosiano, *acies columnarum* ponitur pro ordine columnarum, quem *σίχον* Græci appellant. Unde *πεντάσιχοι* porticus in quibus quini columnarum ordines, & *πεντάσιχοι*, quæ quaternos habent. Græci quoque recentiores *ἀκίαν* eo sensu usurpant in libris suis *πυλῶν*, & *ὁρδῶν* interpretantur, id est ordinem. Simplex ergo acies apud Vegetium est simplex ordo militum extensus in fronte, & exæquatus quasi ad lineam ut in ea stent milites, servantque ordinem incedendi. Si duplicetur acies eo significato sumpta, duplex ordo evadit. Hic si iterum duplicetur, quadruplex fit. *Quadratam aciem* appellat Vegetius, id est quaterno ordine constructum exercitum. Nam modo *aciem* pro singulari ordine ponere solet auctor ille, modo pro exercitu ordinato. Lib. III. c. XV. *sex acies* dixit pro senis ordinibus in quos introrsum patet exercitus ordinatus. At capite sequenti *aciem* vulgato Latinorum loquendi more posuit pro exercitu instructo, cum dixit ducem habere debere *post aciem in subsidio lectissimos milites preparados*. Ex his perspicuum est *quadratum exercitum*, & *quadratam* dici Latine *aciem* ita instructam, cum latitudo, vel si maius altitudo, quaternorum tantum sit ordinum, quantumlibet ejus frons longissime exporrigitur. Et scio in vetere militia non plures vulgo ordines in unaquaque acie poni solitos, ut dicam infra cum ordines Romani exercitus explicabimus. Sciendum porro est æqualitatem frontis in exercitu quadrato minime eo impediri quod in plures partes divisa sit, aut pluribus intervallis distincta. Hoc enim tantum requiritur, ut frons æqualis sit, ne quos sinus, aut ne quas curvaturas habeat: ne pars aliqua in anteriora sese exporrigat, dum altera recedit, aut etiam immota manet. Talis est aliquis depugnandi modus, sed non is est qui æquata fronte longissime extendit aciem. Ut in phalange Græcorum vel Macedonica quamvis in medio *τοπὴν* habeat, & divisa sit in duas partes, dextram & sinistram, quibus nomen *dextri & sinistri cornu* quoque datum est, unum tamen & continuū corpus censetur etiam si plures in fronte divisiones vel intervalla accipiat, ut sæpe olim factum. At si unum ex phalange cornu ulterius procederet, remanente vel recedente altero, tum duæ separatae acies inde existerent, sicut sæpius Romanis ducibus frequentabatur, cum ex duobus cornibus, duas acies distinctas ac diver-

diversas efficerent, aut ex duobus cornibus & media acie, triplicem componerent in qua tripertito signa in hostem inferebant, & manus conferebant. Sed hoc in nova militia ut frequentissimi usus fuit, ita in vetere rarissime usurpabatur, cum una fere uterentur depugnatione, quæ fronte longa, quadrato exercitu aciem extendere consueverat. Vegetius de ea loquens verbis ipsis Catonis usus est. Sic enim scribit dum recenset quot generibus pugna publica committatur: *Depugnationum septem sunt genera vel modi, cum infesta utrimque signa confligunt. Vna depugnatio est fronte longa, quadrato exercitu, sicut etiam nunc, & prope semper solet prælium fieri.* Hæc verba citata à Nonio reperiuntur, ex libro Catonis de Re Militari, in voce, Frontem: *Vna depugnatio est fronte longa, quadro exercitu.* Etcerte in plerisque Vegetii vetustis exemplaribus scriptum invenitur, *quadro exercitu.* Hoc igitur ibi voluit Cato, unam esse apud Romanos depugnationem, sive pugnae ordinationem, quæ fronte longa, & quadrato exercitu explicaretur, cum apud Græcos variæ essent instruendi formæ. Quod adjicitur à Vegetio, *sicut etiam nunc, & prope semper prælium solet fieri,* ex eodem Catone esse descriptum videtur, qui verba faciens de re militari præcorum Romanorum, unam iis depugnationem usitatam scripserat, addideratq; etiam suo tempore sic prope semper prælium fieri. Nam si ad ætatem qua scripsit Vegetius hæc referas, falsissimum erit quod positum est. Si ad sæculum Cæsaris revoces, quo jam immutata erat prisca ordinatio, non magis verum fuerit quod pronuntiavit Vegetius. Usitata quidem etiam tum hæc forma fuit, sed non adeo, ut dici queat prope semper ea prælium fieri solitum. Unus Cæsar in commentariis suis de bello Gallico, & civili, de falsitate hujus sententiæ testari possit. Ubicunque enim apud eum mentio occurrit, aciei duplicis, ac triplicis cum utroque cornu & media acie, quæ frequentissima apud eum ordinandi ratio, de ea ordinatione quæ fronte longa & quadro exercitu adornatur, accipi nullo modo potest. Olim tam cornua Sociorum quam media acies Romanorum quæ in fronte dirigebatur, ex *Hasatis* Alariis & legionariis, composita erat, qui omnes uno tempore pugnant, idcirco omnes in eadem linea æquata fronte consistebant. Quæ depugnatio dicebatur *fronte longa, quadro exercitu*, ut à Ca-

Q

tone

tone vocatur. Cæsaris ætate, & sequentium Imperatorum, nunquam vel in duo cornua divisus legitur exercitus, vel in duo cornua & aciem mediam, quin inæquali fronte ordinationem directam intelligi oporteat. Cujus rei fidem facere maxime idoneus Tibullus iis versibus quos supra produximus, ubi aciem quadratam, & recto ordine, æquatis frontibus decurrentem ei opponit quæ per sinistrum & dextrum cornu solet instrui :

Sen sit opus quadratum acies consistat in agmen

Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo.

Seu libeat duplici sejunctim cernere Marte,

Dexter utile vum tentet, dextrumque sinister

Miles, —

Acies bipertito in duo cornua divisa, in qua diversis locis sejunctim dimicabatur, non potuit habere frontem æqualem. E contra exercitus in quo duo cornua cum media acie unam veluti aciem constituiebant, & in quo omnes simul junctim pugnabant, semper æquata fronte constitit. Talis depugnatio antiquorum, qua prope semper teste Catone utebantur Romani, quo tempore id scribebat. Mutata re militari nunquam hæc forma celebrata est, nisi si quando simplici acie decertaretur. Si duplex fieret aut triplex inæquali fronte semper solebant dirigi, quia prælium æqualiter in omnibus partibus non solebat inchoari, nec eodem tempore, sed modo à dextro cornu exordium pugnae fiebat, modo à sinistro interdum & à media acie. Si ab omnibus simul partibus eodem tempore dimicatio inciperet, cum separatae essent acies, & altera magis promoveretur, altera recederet, æqualitatem frontis præferre non poterant. In fronte longa & quadro exercitu una semper forma & facies pugnae servabatur, sive, ut loquutus est Cato, *una depugnatio*. Ex acie in duo cornua separata, & sejunctim, sive bipertito instructa, quinque ordinationis schemata oriuntur. Aut enim dextro cornu ad hostes promotum, sinistro submotum, obliqua acie configitur, quæ Græcis λοξὴ φάλαγξ dicitur. Figuram habet lateris libellæ fabrilis. Sic enim legendum apud Vegetium, lib. III. cap. XX. *Ad similitudinem autem lateris libellæ fabrilis acies in hoc dimicandi genere constituitur*. Perperam hodie legitur in vulgatis Vegetii exemplaribus, *ad similitudinem A listera vel libellæ fabrilis*. Nec enim similitudinem habet hæc de-

depugnatio litteræ A. vel libellæ fabrilis, sed later tantum vel litteræ A, vel fabrilis libellæ, hoc modo: *Λ*. Huic contraria forma, sed adæque alteri lateri libellæ similis existit, si sinistrum cornu tuum cum dextro hostili junxeris, & dextrum removeris in hunc modum: *Λ*. Tertia dimicatio est ex duobus cornibus, cum alterum in prima fronte constituitur, alterum à tergo seponitur quasi ad subsidium. Ex quo duæ exeunt formæ, cum dextrum præponitur sinistro, aut sinistrum dextro. In formam veru, vel litteræ jota hæc acies porrigitur hoc modo I. Eam ita describit Vegetius lib. III. c. XXVI. *Qui nec numero militum, nec virtute confidit, si depugnaturus est de dextera sua sinistram alam hostium pulset, reliquis suis porrectis, in similitudinem veru.* Respondet ei ordinationi, quam Græci ὀρθίας Φάλαγγ nomine nuncupant, ut alibi ostendam. Quinta est, quam *παραγίαν* iidem Græci vocant, & quæ eadem ferme est cum ea Romanorum cui frons longa & quadrata tribuitur. *Transversam* Latine liceat dicere. Sic *transversa Principia* dicuntur Sallustio de exercitu ordinato, quod tamen aliter supra exposuimus. Cum enim Metellus agminatim exercitum duceret, & longo quidem agmine, ex improvviso hoste conspecto, repente commutatis ordinibus qui ὀρθίας, vel ut iidem Græci dicunt, Πῆ κέρως incedebant, *transversa Principia* fecit, hoc est *παραγίαν Φάλαγγα*, ut supra explicavimus. Eam Græci definiunt, *πλάσιν ἔχουσαν πῆκος & βάθους*, quæ frontem in longitudinem exporrectam habet, & latitudinem habet longe minorem longitudine. In triplici acie, quæ cornibus & media acie separatis invicem constat, easdem omnes facies & *σχήματα* formare liceat atque in duplici, & duas præterea quas duplex acies in duo cornua tantum divisa ferre non queat. Aut enim media acies admovetur propius hostes, stantibus aut reductis retro ambobus cornibus, quæ *κυρτή Φάλαγγ* est Græcorum, aut è contra duobus productis in hostem cornibus media acies dum lentius procedit, ea figura existit quam Græci *κοίλῳ Φάλαγγα* nominant. Hæc septem sunt genera depugnationum quæ Romani recentiores è Græcorum *τακτικῇ* mutuati sunt, cum antiqui una illa ac simplicissima prope semper uterentur, quæ fronte æquata & longa dirigitur.

C A P. XI.

Quadratam aciem Romanis eam dictam fuisse qua frontem haberet quadratam, non qua forma πλινθία esset ordinata, ut acies Crassi fuit ἀμφίσμου vel ἀντίσμου.


QUadratam aciem veteres Romanos vocasse longe alia significatione quam qua Græcis περάγων πῆξις appellatur, aut πλινθιον vel πλαισιον, in superioribus demonstravimus. Nam quadrata acies ea dicebatur Romanis quæ quadratam tantum frontem haberet, & ita adæquatam ac directam ut sunt singula quadrati latera quod est ἰσγώνιον. Lipsius tamen in opere de militia Romana, quo loco varias instructionis formas enumerat atque explicat, *quadrata simplicis* nomine donavit eam ordinationem qua Crassus contra Parthos aciem instruxit. Quod Plutarchus ἀμφίσμον & βαθὺ πλινθιον appellat. Certe Græcis πεικνῆσις πλινθιον vocatur, quod περάγωνον habet schema, in quo ex omnibus lateribus in hostem conversi milites pugnant. Sed Plutarchus non simpliciter πλινθιον appellavit eam instructionem quam tum Crassus adversus Parthos adhibuit, sed ἀμφίσμον πλινθιον dixit, quæ instructio ex duobus tantum lateribus pugnantes præbet, qui terga sibi invicem obversa habent in media instructionis pedatura. Arrianus: ἐστὶ δὲ ἡ ἀμφίσμου φάλαγξ, ἡ τὰς ἡμέτερας τὴν τοῖς λόχοις ἀνδρῶν ἀπεγραμμένους ἀπὸ σφῶν ἔχειν, ὡς ἀντιώτας εἶναι. Quod ait ergo Plutarchus duodecim cohortes in illa acie Crassi unumquodque latus tenuisse, non de quatuor lateribus id intelligendum, sed de duobus tantum, ut in ἀμφίσμῳ accipi necesse est. Sic viginti tantum quatuor cohortes fuere in illa quadratura, duodecim ab uno latere, totidem ab altero. Crassus deprehensus in latis & patentibus campis contra innumerabilem Parthorum equitatum, statuerat primo de Cassii sententia per plurimum campi quam posset longissime aciem exporrigere, ne ab equitatu Parthico circumiri posset. Hæc est ipsa quam supra explicavimus ordinatio, quæ fronte longa & æquali, quadrato exercitu extenditur, soletque rara ac tenuis esse, utpote in longitudinem expansis copiis, ex quo fit, ut quantum longitudini additur, tantum

tantum latitudini detrahatur. Unde tenuatur acies, paucis introrsum ordinibus fundata. Hoc genere aciem instruere cum primum placitum esset Crasso, postea in contrariam faciem ordines commutavit, contractis in artum copiis & in profundum πλινθίων coactis, atq; in faciem ancipitis, hoc est, ex utroque latere dimicantis aciei redactis, quam Græci ἀμφίστρομον ὁρθοτάξιν vocant. Atqui hanc aciem *quadratam simplicem* Lipsio nominari placuit, cum illa potius quæ antea uti voluerat ex Cassii sententia maxima longitudine directæ, sic vocanda esset. Verba Plutarchi Græca hic subiungemus, deinde ea exponemus, in quibus interpretandis tantam infantiam prodidit summus vir Lipsius, ut appareat plane id nescisse de quo tractandum suscepit in eo opere: ἀπαντες μὲν ἔν θορύβῳ. Οἱ δὲ Κράσῳ ἐξεπλάγη πάντας, καὶ διὰ πρῶτης ἐπάνου κατῆστον παρέταξε πρῶτον μὲν, ὡς οἱ περὶ Κρόσσου ἡξίουν, δεξιὰν τὴν Φάλαγγα τῶν ὀπλιτῶν ὅτι πλείον ἀνάγων ἔπειθε πρὸς τὰς κυκλώσεις, τὰς δὲ ἱππεὺς ἀγνέμων τοῖς κέρασιν. ἔπειτα μετέδοξε, καὶ σωμαγωγῶν, ἀμφίστρομον ἐποίησε, καὶ βαθὺ πλινθίων, ἐν δώδεκα σκέραις περὶ ἐρχομένης τῆς πλῆθους ἐκείνης, ὅρα δὲ πρῶτον ἰλὺν ἱππέων ἔταξεν ὡς μηδὲν ἔχει μέρῳ ἐνδεὲς ἱππικῆς βοηθείας, ἀλλὰ πανταχοῦ ὁμαλῶς προσφέροιτο πεφραγμένῳ. Quæ verba sic Latine reddenda fuerunt: *Omnes tum quidem perturbati sunt: sed Crassus præcipue stupore quasi defixus stetit, & festinans ut non satis mentis compos instruxit aciem. Ac primo quidem, ut Cassius censuit, raris ac laxis ordinibus, peditum stabile agmen in maximam longitudinem per campum porrexit, equitibus ad cornua dispersitis, eo consilio ne circumveniretur ab hostibus. Postea mutata sententia, contractis in artum copiis, bisfrontem & altum composuit laterculum, decurrentibus per singula latera duodenis cohortibus. Ad unamquamque cohortem turmam equitum adjunxit, ut ne qua pars equestri præsidio indigeret, sed undique aequaliter tutus tectusque in hostes invehiretur.* Libuit ipsa Plutarchi verba subijcere, quia in his explicandis mirum quantum allucinati sunt viri eruditione summi. Ex eodem Plutarcho notandum septenas legiones tum in exercitu habuisse Crassum. Cum adversus innumerabilem Parthorum multitudinem, qui & equitatu præcipue valebant, dimicaturus esset in campis patentibus, ante omnia illud cavere debuit, ne à multitudine circumveniretur. Duo erant quibus id vitari poterat, quæ & plurimum profunt adversus κυκλώσεις, ut aut quam

longissime exporrigeret aciem, sed raram ac tenuem, id est minime confertam, & paucis ordinibus introrsus constantem, aut ut bifrontem eam construeret, id est duplici fronte pugnantem, & ordinibus multiplicatis fundatam. Prius primo placuerat ex Cassii sententia. Postremo magis probavit posteriorem ordinationem, quæ & usus est. Eam ordinationem Græcus scriptor, βαθυ & ἀμφίστομον πλινθιον appellavit. Tota explicatio inde pendet, ut sciatur quid sit ἀμφίστομον acies apud Græcos. Ælianus eam esse dicit quæ duobus lateribus pugnantes ostendit, quam & eo nomine ab ea quæ ἀνίστομον appellatur, distinguit, quod hæc non ex duobus lateribus pugnet, sed ex duplici fronte. Sed alii auctores Τακτικὸν hoc discrimen ignorant, qui ita ἀμφίστομον φάλαγγα meminere cum alto silentio ejus quæ dicitur ἀνίστομον. Nimirum ita senserunt eandem esse ἀμφίστομον & ἀνίστομον. In his Arrianus est, & Onofander, & ille incertus auctor cujus libellus vocabulariis Græcis vulgo subiectus legitur. Et sane ἀμφίστομον ita definiunt, ut eandem omnino videri necesse sit cum ἀνίστομον, eam nempe esse instructionem quæ τὴς ἡμίσεως τῆς ἐν τοῖς λόχοις ἔχει ἀπεντραμμένης ἀπὸ σφῶν, ὡς ἀνιπνῶτες εἶναι. Ordo qui λόχος Græcis vocatur, ipsos ordinis ductores in fronte exhibet hosti obversos. Si ἀμφίστομον fiat acies, dimidia hujus ordinis pars, terga obversa habet alteri dimidiæ parti, quæ à tergo instantes hostes & ipsa repellit, & cum his concreditur. Onofander non minus clare & ἀμφίστομον eandem cum ἀνίστομον statuit, cum sic fieri eam scribit, ubi qui agmen claudunt, terga sua obvertere incipiant tergis eorum qui in fronte sunt collocati: ἢ καὶ ὁδὸν ἀγγέλλη τοῖς ἐφθασμένοις ἤδη κυκλωθῆναι πὰν ὥστε τοῖς τῷ προσηγεμένων νῶ τοις ἐγκλίνοντες ἀμφίστομον ποιεῖσθαι τὴν μάχην. Aut cum praeceperit iis qui jam ab hoste circumventi sunt, ut ob terga praecedentium sua obvertant terga, & pugnam ex duplici fronte capessant. Si quis nominis Græci vim spectet, non alia significatione utrumque dicitur. Nam ἀμφίστομον est, quæ utrimque frontem habet. ἀνίστομον autem quæ frontem fronti habet oppositam, ac proinde geminam. Certe instructio in qua è duobus lateribus dimicatur, ea latera habet pro frontibus. Quid enim distant latera à fronte, præcipue in quadrata pedatura, & æquilatera? Frontes quippe sunt, non latera, quæ pugnatōres habent cum hostibus concurrentes. Quomodocunque ἀμφίστομον intelli-

telligatur, illud certum est duo tantum latera in ea extitisse, siue duas frontes. *πλινθιον* quod tunc Crassus contra Parthos instituit non solum *ἀμφίστημον* fuit, id est duplici fronte constans, ante & à tergo bellatores exhibens hostibus obversos, sed etiam *βαθύ*, altum ac profundum. Altitudo illa *πλινθίου* ex multiplici ordinum serie contexta erat. Prima frons duodenas cohortes habuit, altera totidem. Sic universum *πλινθιον* vicenis quaternis cohortibus constructum fuit, duodenis in anteriorem partem tendentibus, & duodenis in posteriorem. Ut anterior pars ex duodenis cohortibus composita, frontem habebat hosti contraversam, ita & posterior similiter hostes à tergo imminentes fronte infesta propulsabat. Hoc est quod dicit Plutarchus, *ἐν δώδεκα πείραις περιερχομένης τῆ πλινθιῶν ἐκάστης. Ὑποquoque latere siue fronte in duodenis cohortibus decernente.* Ad singulas cohortes utriusque frontis in lateribus turmam equitum apposuerat Crassus. Sic equites utrisque hujus *πλινθίου* lateribus adstiterant, ut ea protegerent. In utraque fronte pedites constiterant. Sic quatuor & viginti tantum cohortes in illo *πλινθίῳ* fuere, hoc est legiones duæ cum quatuor cohortibus. Quid igitur factum fuit reliquis quatuor legionibus cum sex cohortibus, cum tradat Plutarchus septenas legiones in exercitu Crassi fuisse, hoc est cohortes septuaginta? Lipsius qui undique in illo *πλινθίῳ* hoc est per quatuor latera duodenas legiones dispositas fuisse voluit, octo & quadraginta cohortes inde efficiebat. Restant tamen adhuc viginti duæ. Quid illis factum? Ubi illas collocabit? In media quadratura ad subsidium sitas suspicatur. Quod est ridiculum. Ut qui medio laterculo conclusi erant, subsidio fuerint iis à quibus claudebantur. Quis dixerit medios in acie ordines subsidiarios esse primis & postremis? Non animadvertit vir doctissimus, Crassum triplicem aciem tum instruxisse, & id Plutarchum disertè dicere. Duo cornua cum media acie, & sic tres acies contra Parthos direxerat. Uni cornui Cassium præposuerat, alteri Crassum filium. Ipse in media acie constiterat. *Τῶν ὃ κεράτων*, inquit, *τὸ μὲν κασιῶν, τὸ δὲ τῷ νέῳ Κράσῳ παρέδωκεν, αὐτὸς δὲ εἰς μέσον κατέστη.* Ergo totidem *πλινθία*, quot acies, construxerat. Nec enim aliter fieri poterat. Et ridiculum est cogitare in unum *πλινθιον* tres illas acies conclusas fuisse. Unumquodque *πλινθιον* viginti quatuor cohortes habuit,

habuit, duodenas in singulis frontibus. Hæ in tribus plinthiis septuaginta duæ cohortes fuere, quæ numerum explent legionum quas tunc Crassus habuit, duabus amplius. Ad latera singularum cohortium ἰλινθίων adpositam à Crasso fuisse dicit idem Plutarchus. *Alam equitum* vertit Lipsius cum docto interprete. Quod falsum est. *Turmam* debuerunt reddere. Unaquæque legio trecentos equites habuit, in decem turmas divisos. Ita singulis cohortibus sua turma adstitit. Sed cum ab utroque latere cohortibus adstiterentur turmæ singulæ, dimidiam turmam ab uno latere cuiusque cohortis, dimidiam ab altero adplicitam fuisse oportet. Hæc forma fuit ordinationis qua Crassus exercitum adversus Parthos instruxit, quam nec Lipsius, nec alius quisquam eorum qui rem Militarem Romanorum exponere hæcenus conati sunt, intellexit.



Unum quodque horum πλινθίων in singulis frontibus ima ac summa duodenas habuit cohortes, ac prætendentem à lateribus equitatum. Sic undique munita fuere adversus impetum & incurSIONem hostium. Numerus præterea convenit legionum sive cohortium quas tunc habuit Crassus. A & M. aciem mediam deno-

nobant C.D. cornu dextrum. C.S. cornu sinistrum. Appianus de hoc plinthio Crassi ἀμφιστόμῳ, ὡς δὲ ἢ ἀπείραν ἄλλω ἰσχυρῶν ἔλαξεν ὡς μηδεὲν ἔχει μέρϑ ἐνδεὲς ἰππικῆς βοαθείας. Immo delendum ἰππικῆς, & legendum, ὡς μηδεὲν ἔχειν μέρϑ ἐνδεὲς. *Ne qua pars suo presidio destituta foret.* Non enim ad omnia latera equites adpositi, sed in duobus tantum, ad finem cujusque cohortis. Latus autem imum ac summum, hoc est duæ frontes cohortibus defendebantur, quæ ab illis partibus conversa in hostem ora habebant. Idem etiam error in Plutarcho commissus apud quem scribi similiter debet, ὡς μηδεὲν ἔχει μέρϑ ἐνδεὲς βοαθείας, ἀλλὰ πανταχόθεν ὁμαλῶς προσφέροιτο πεφραγμένῳ. Non enim, ut dixi, in omni latere laterculi eques, & figura quam supra posuimus id ostendit. Exemplum quadratæ aciei duplicis ex Livio proposuit idem Lipsius, in qua non minus hariolatus est quam in illa Crassi ex Plutarcho. Utrobique parem harum rerum imperitiam ostendit. Verba Livii sunt quibus pugnam Romanorum cum Latinis decertatam describit lib. VIII. *Instructis, sicut ante dictum est, ordinibus, processere in aciem. Manlius dextro, Lalius lævo cornui præerant. Primo utrimque equis viribus res gerebatur. Deinde ab lævo cornu Hastati Romani non ferentes impressionem Latinorum, se ad Principes receperunt.* Cur hæc acies Romana illi visa sit *duplicis quadrata* nomen mereri, nescio. Fortasse can tamen ita sensit quod utriusque cornu in ea describenda meminerit Livius. Si hanc causam habuit duplicis constituendæ, certe illa Crassi quam in exemplum simplicis quadratæ proposuit, *triplex quadrata* merito censeretur debuit. Nam præter utrumque cornu etiam mediam aciem habuit cui ipse præfuit Crassus pater, cum cornu lævum regendum dedisset filio, dextrum Cassio. Præterea quod ex gemino cornu pro *duplici* habet eam aciem Romanorum, qua contra Latinos depugnarunt, etiam in eo falsus est, cum triplicem ex *Hastatis, Principibus & Triariis* in quos tripartito distincta fuit, eam potius censere debuerit. Si aciem *Hastatorum* qui primi pugnabant, & primam aciem constituiebant, in duo cornua divisam fuisse putamus, & ea cornua totidem acies computamus, idem dicendum est de acie *Principum*, & de acie *Triariorum*. Sic omnes congregabunt, & pro duplici acie, sextuplex emerget, & exemplum sextuplicis quadratæ Lipsio suppeditabit, non duplicis. Romani illa tempe-

stare cum duo cornua separata five acies instruebant, eas componere soliti erant ex Sociis Latini nominis, mediam inter duo cornua aciem ex solis civibus Romanis construebant. At eo tempore belligerabant cum Sociis suis ex Latino genere & nomine. Nullas itaque Sociales copias in exercitu suo tum habuerunt. Ex solis Romanis illa acies instructa fuit, & quidem triplex, ex *Hastatis*, *Principibus* ac *Triariis*. Cur ergo in illa acie describenda Livius cornu dextri ac sinistri mentionem habuit? Jam dicam quod à me discant licet Tyrones Rei Militaris Romanæ, in omni ordinatione exercitus quamlibet simplicis, ex uno & continuo agmine composita, nec in plures acies divisâ ac separata, sua tamen inesse cornua. Hæ extremitates sunt, five extremi anguli dextræ & sinistræ partis in acie. Ἀκρὰ κέρατων Græci appellant, atque etiam κέρατα. Nam Græcis κέρας extremitas & summitas cuiusque rei. Livius in describendis ordinibus illius instructionis Romanorum contra Latinos non meminit cornuum, sed simpliciter *Hastatorum* in ea acie quindecim manipulos fuisse ait, totidem *Principum*, & totidem quoque ordines five manipulos *Triariorum*. In tres acies dividit, & primam ex *Hastatis* instructam tradit, secundam ex *Principibus*, & tertiam ex *Triariis*. *Prima*, inquit, *acies Hastati erant, manipuli quindecim*. Ergo secunda acies, *Principes* fuere, & tertia *Triarii*. Nulla hic cornuum mentio, & tamen triplex acies commemoratur. At paulo post cornu lævi & dextri meminit & quidem in *Hastatis*, & dextro præfuisse dicit Manlium, Lælium sinistro. *Instructis, sicut ante dictum est, ordinibus processere in aciem. Manlius dextro, Lælius lævo cornu præerat. Primo utrimque aquis viribus eodem ardore animorum gerebatur res. Deinde ab lævo cornu Hastati, Romani non ferentes impressionem Latinorum. Hastati primam aciem faciebant & unam ut ex his verbis constat. In ea tamen singulari & simplici acie duo cornua fuere, dextrum ac lævum. Totidem etiam fuisse oportet & in acie Principum, & in acie Triariorum. Sic novem fuerint acies vel certe sex, si cornua in unaquaque acie pro duabus computari placeat. Quod fieri non debet, cum unaquæque acies duo cornua habuerit, etsi continenter juncta, ac nulla sui parte divisâ. Sic notum est, in phalange Græcorum duo extitisse cornua. Ut in acie æquali fronte instructa & quadrata pars dextra ac læva fuit,*

fuit, ita & cornu dextrum ac lævum. Nam dextrum cornu pro dextra parte, & lævum pro sinistra. Cum duo duceserant, ut duo consules, ubi exercitus junxerant, alter lævo cornui sive lævæ parti præerat, alter dextræ. Eodem modo cum singuli ordines sive manipuli dextram & sinistram partem haberent, duo etiam habuere ductores, sive centuriones, quorum alter in dextro manipuli sive ordinis latere curabat, alter in sinistro. Duo quippe olim eligebantur ductores ordinis in unoquoque manipulo sive ordine, vel centuria. Ex his ductoribus qui primus electus fuerat dextram manipuli sive ordinis partem tenebat, secundus sinistram. Polybius: ο' μὲν πρῶτος αἰρεθεὶς ἡγεῖται τ' δεξιᾷ μέρει τῆς πωρείας, ὁ δὲ δεύτερος τῶν δυνάμεων ἀνδρῶν τ' σημαίας ἐχὼς τὴν ἡγεμονίαν. *Qui prior electus est, præest dextra parti manipuli: qui secundus, militum qui in lævo latere sunt, ducatum gerit.* Ad hoc plane exemplum in acie instructa, cujus frons instar unius ordinis habet, cum duo duces erant, unus regebat dextram ejus partem, hoc est cornu dextrum: alter lævam, sive lævum cornu. In singulis ordinibus sive centuriis, dextra pars cui primus centurio præerat, dicebatur *prior centuria*: lævum ejusdem centuriæ latus cui secundus præpositus erat centurio, *centuria posterioris* vel *secundæ* nomen habebat. Sic in exercitu universo, ubi instructus esset, si in duo cornua, quasi in totidem acies separatas divideretur, cornu dextrum primæ aciei locum obtinebat, lævum secundæ. In phalange Græcorum similiter dextrum cornu à Græcis pro capite censébatur, sinistrum pro cauda. Arrianus: Τέμνε δὲ ἡ Φάλαγξ εἰς μέρη τὰ μέγιστα δύο, δίχα διαιρεμένα τῷ παντός μετώπῳ ἐστὶ τὸ πᾶν βάθ'· τὸ ἐπ' ὀπίσθεν, καὶ τὰς τὸ μὲν ἡμῖσι τὸ ἐν δεξιᾷ δεξιὸν καλεῖται κέρας καὶ κεφαλὴ, τὸ δὲ ἐν ἀριστερᾷ εὐώνυμον κέρας καὶ ὅρα. *Scinditur autem phalanx in duas maximas partes, bifariam etiam divisa tota altitudine in rectam lineam. Et hujus pars dimidia quæ in dextro est latere vocatur dextrum cornu & caput. Quæ in sinistro latere est, lævum cornu & cauda.* Pari ratione apud Romanos dextrum cornu in exercitu quando in duas acies dividebatur, prima erat acies, sinistrum cornu postrema, cum duplici acie certabatur. Sed & in singulis ordinibus sive centuriis *prior*, ut dixi, *centuria* vocabatur pars centuriæ dextra, quæ priori centurioni tradita erat ducenda. Et sic intelligendus Livius lib. XLII. cum scribit, *Hic*


me imperator dignum iudicavit cui primum *Hastatum* prioris *centuria* assignaret. Item eodem libro: *A M. Acilio mihi primus Princeps prioris centuria est assignatus.* Duo primi ergo *Hastati* & duo primi *Principes* fuere in singulis manipulis eo tempore quo duo ductores ordinis eligebantur in unoquoque ordine sive manipulo. Et dextra pars manipuli *prior centuria* vocabatur, sinistra pars, *posterior* vel *secunda*. Sed de cornuum in acie divisione adhuc dicemus cum de loco quem Dux in acie obtinebat, agemus. Ista hic abunde dicta sufficiunt ut constet Lipsium perperam exemplum simplicis & duplicis quadratæ aciei ex superscriptis Plutarchi & Livii locis traxisse. Nam *quadrata acies* more tam veteris quam novæ ordinationis apud Romanos dicebatur, quæ fronte æquali erat instructa, sive in duobus cornibus solis confisteret, sive mediam amplius aciem inter utrumque cornu haberet. Nam de simplici acie non dubium quin quadrata semper fronte instrui solita sit, priscis juxta novisque Romanis. Aciem porro quadratam veterum non posse eandem videri cum *παραγώνω πᾶσι* vel *πλινθίῳ* Græcorum quo quadratum agmen in omnem aspectum redditur, vel Catonis verba de ea instructione ostendunt quæ à Nonio citantur ex libro ejus de re militari: *Vna depugnatio est fronte longo, quadro exercitu.* Quæ item proferuntur à Vegetio lib. III. cap. XX. quo varia genera aciei instruendæ recenset, ubi sic scribit: *Vna depugnatio est fronte longa, quadro exercitu, sicut etiam nunc & prope semper solet pralium fieri.* At quadratæ aciei quo sensu *παραγώνω πᾶσι* Græcorum dicitur, quæque ab omni latere quadrata habetur, non ubique nec semper locus fuit. Et certum est rarissime ea usos fuisse Romanos, raro Græcos nisi si quando necessitas id exigeret ubi ab omni parte hostis ingrueret. Ne illa quidem *πλινθία* forma qua usus fertur Crassus adversus Parthos, ab omni latere æqualiter quadrata fuit, nec ex quatuor partibus milites habuit dispositos sed in duobus tantum lateribus locatos eo prorsus modo quo Græcorum *ἀντίστρομος* vel *ἀμφίστρομος* *φάλαγξ* solebat ordinari. Præterea Vegetius quadratum illum exercitum qui fronte longa instruebatur, alio loco *quadrata fronte* esse tantum dixit, capite nempe XXV. ejusdem libri: *Qui multitudine & virtute præcedit, quadrata dimicet fronte, qui primus est modus.* Non simpliciter *παραγώνω* est hæc instructio, sed *παραγώνω*

⊙ & Ὀπιμήκης quadrata & praelonga, ut eam vocat Leo in Tacti-
cis cap. XVIII. ubi Saracenorum in praeliis ordinationem talem
extitisse memorat. Τετράγωνον ἢ, inquit, καὶ Ὀπιμήκη ποιῶν πλὴν ὡς
ταξιν ὡς ἀσφαλεστέρην καὶ λυσιτελεστέραν μὴ διωαμένῳ ἐν τῇ τῇ ἀντιπαρθετατομέ-
νων περισβολαῖς. *Quadratam & oblongam aciem instruunt utpote fir-
miorē & quā facile solvi non possit hostium contra ingruentium
impressionē.* Non ergo τετράγων⊙ fuit πῆξις, sive quadrata ordina-
tio, in omnem partem aspiciens, sicut est πλινθιον, ea acies quæ so-
lam frontem habuit quadratam & longam, id est longiorem quam
latiorem: *Fronte longa, quadro exercitu.* Talis aciei hæc forma fuisse
videtur, ut ea est quā hic subjungimus, cum intervallis ipsis,
ut mos fuit in antiqua militia.




At quadrati vere agminis eo sensu quo Græci appellant τετράγωνον πῆξιν & πλινθιον sive πλαίσιον luculenta est descriptio apud Senecam his verbis Epist. LIX. *Sextium ecce cum maxime lego virum acrem, Græcis verbis, Romanis moribus philosophantem, movit me imago ab illo posita in quadrato agmine exercitus, ubi hostis ab omni parte suspectus est, pugna paratus.* Idem, inquit, sapiens facere debet, omnes virtutes suas expandat, ut ubicunque infestis aliquid oritur illic parata praesidia sint, & ad nutum regentis sine tumultu respondeant. *Quod in exercitibus his quos imperatores magni ordinant fieri videmus, ut imperium Ducis simul omnes copia sentiant, sic disposita, ut signum ab uno datum peditem simul equitemque percurrat.* Græce scripserat ille Sextius quem tunc Seneca legebat. Quod ergo Latine dixit Seneca *quadratum agmen*, Græcus ille Philosophus τετράγωνον πῆξιν appellaverat, ut etiam Onofandro appellatur, τετράγων⊙ πορεία. Nam de agmine exercitus ambulantis ea verba Senecæ sive Sextii accipienda sunt. Qua forma instruxisse aciem ad Arbela Alexandrum scribit Frontinus lib. II. cap. III. de acie ordinanda: *Alexander ad Arbela cum hostium multitudinem videretur, virtuti autem suorum fideret, aciem in omnem partem spectantem ordinavit, ut circumventi undique pugnare possent.* Hæc acies in omnem partem spectans πλινθιον est, non ἀμφίστομον ut illud

illud Craffi fuit contra Parthos, sed plane *πτεράσιμον*, vel *πτεράπλωρον*, ut quidam vocarunt, quia à quatuor lateribus armatos in hostem conversos haberet. Huiusmodi *πλινθία* sive *quadratas acies* in omnes partes spectantes Græci posterioris ævi sub Constantino-politano imperio quando expeditibus atque equitibus exercitum compositum habebant, quam *σύμμικτον τάξιν* vocabant, id est miscellam ordinationem, à tergo peditum collocare consueverant sub nomine *νωτοφυλάκων*, de quibus nos infra. Hæc eorum *πλινθίων* forma fuit. Bina ea in novissimo sic locabant, quasi subsidii vicem.



Hæc *πτεράγων* quidem est *τάξις*, sed non est *πλινθίων*. Nam forma *πλινθία* sive laterculi non est ex omni parte quadrata sed oblonga. Eadem forma Græcis & *πλαίσια* nomine vocatur. *Πλάσιον* proprie est quadratum oblongum lignum in quo formantur lateres, id est *πλίνθοι*. Ergo eadem *πλαίσια* & *πλινθία* figura. Unde & Grammatici *πλινθίων* interpretantur *χῆμα πτεράγων ἐπρόμηνες*, formam quadratam oblongam. Quomodo & *πλάσιον* interpretantur. Alii tamen, ut Arrianus, *πλινθίων* quadratum æquilaterum faciunt, & eo nomine à *πλαίσια* distinguunt quod *πλάσιον* sit, *ὅπῃ ταν πρὸς πάσας τὰς πλωρὰς ὡραῖα* (ἔξῃ) *πρὸς ἐν ἐπιομήκει χῆμα*, cum in omnes partes spectantem aciem aliquis instruxerit, in forma longiore quam latiore. At *πλινθίων* Craffi apud Plutarchum non fuit ἐν *πτεράγων* *χῆμα*, sed ἐν *ἐπιομήκει* cum *βαθὺ* appellet idem auctor. Quibus verbis ostendit plus latitudinis habuisse quam in fronte longitudinis. Cui contraria fuit forma *πλαίσια*, quæ teste Æliano, *πλαπλάσιον* habuit *τὸ μῆκος τῆ βάθους*, longius nimirum quam latius. De quo infra. Præterea *ἀμφίσιμον* illud *πλινθίων*

θιον Crassi non erat ex omni parte militibus munitum. Figuram ejus supra posuimus. Πλινθιον est igitur quod Græci πελινθὶ ita vocarunt, quod ἐν πετραγώνῳ σχήματι fingitur, quam etiam πετράγωνον πένξιν appellant, & πετράπλευρον quod in omni latere quadrati dispositos haberet milites contra hostem obversos, quæ ibi vocatur σὺν πένξι ὀπλιτῶν πετράγωνⓈ, & sic describitur: λέγεται αὐτὴ καὶ ὡς ἀπὸ πέντε παλαιοῖς πετράπλευρον, ἔχουσα καθ' ἑκάστην μέτρον ἀνὰ ὡς ἀπὸ τριῶν ὡς εἶναι οὐκ ἂν τὰ πωτέρων πλευρῶν ὡς ἀπὸ τριῶν δώδεκα. *Dicitur hoc genus instructionis quadrata apud veteres, etiam quadrilaterum, quod in omni parte tres habet acies directas, ut in totum per quatuor latera duodena habeantur acies instructæ.* Nam πετραγώνος & πετραπλευρὸς πένξιν, quadratæ simul & quadrilateræ instructionis hæc erat forma.



Pedites

Pedites omnem exteriorem faciem quadrati obtinebant quos littera P, signavimus, totque ordinum erant introrsus quot Duci visum esset. Interioris quadrati lineas eques occupabat, qui per intervalla exire poterat in hostem, & rursus se recipere post terga peditum. Is littera E significatur. Intimi quadrati & undique clausi spatium impedimenta militaria continebat, quod littera I ostendit. In eo etiam intimo quadrato locus Ducis fuit, ut etiam illi Græculi docent. De quo infra adhuc plura. De quadrato agmine cum incedit exercitus & quot modi *ἰστιάς* fuerint, & quo sensu *quadratam agmen* iter facientis exercitus dictum sit infra docebimus. Enimvero acies quadrata Romana vel *in quadratum agmen consistens*, ut loquitur Tibullus, longe diversa erat ab ea *παραγώνω* Græcorum *μάχη*. Acies illa quadrata simplex semper habita est quamvis in plures partes intervallis interpositis distinctam frontem haberet. Æstimatio igitur duplicis aut triplicis aciei vel etiam amplioris numeri ex eo pendeat, si aut pluribus locis ac diversis eodem tempore pugnaretur, quod fiebat cum inæquali fronte & separatim instructæ plures acies erant, aut si non eodem momento omnes concurrerent, ut in subsidiariis fieri amabat. Aliud etiam efficiebat, ut plures acies numerarentur, aut etiam si vere plures essent, ratio tamen earum non haberetur in numero designando, ex more Romanorum peculiari petito. Nam apud veteres cum dispersita frons erat in duo cornua & mediam aciem, quia cornua ex Sociis componebantur, ideo numerari pro diversa acie neutrum cornu solebat. Posteaquam vero cornua ex militibus Romanis extructa sunt, tum duo cornua cum media acie triplicem aciem effecerunt. E contra subsidiariæ acies si ex Auxiliis externis dispositæ essent, non numerabantur sub aciei appellatione. Sin autem è civibus forent compositæ, multiplicabant numerum acierum.

C A P. XII.

*De subsidiis & subsidiariis copiis, & quanta in his fuerit differentia
Scipionum temporibus usitata militia ac Cæsariæ.*

V. T. melius liqueat de eo quod diximus in fine superioris capituli, latius hic de subsidiis dicendum, simulque ostendendum quan-

quantum discrimen circa ea extiterit inter Cæsarianam & frequentium temporum militiam, atque illam quam Scipionum ætas frequentavit. In antiqua, sicut à Polybio traditur, ordinatione, *subsidia* ita ordinaria ac legitima fuere, ut nulla unquam sine his instrueretur acies, & certo quidem numero qui semper idem observabatur. Isque ordinandi modus permanfit quamdiu per *Hastatos & Principes Triariosque* instruendæ aciei ratio duravit. Ex acie triplici quæ per hæc tria corpora instituebatur, præter primam quæ ex *Hastatis* constitit, duæ sequentes fuere subsidiariæ. Nam *Principum* acies subsidiaria fuit *Hastatorum*, quæ post eos ordinabatur. *Triariorum* acies similiter ad subsidium *Principum* postremo loco ordinabatur. Atque hi proprie subsidiarii reliquorum duorum *Hastatorum & Principum* fuere, & καὶ ἱχοχλω *subsidiariorum* appellatione censentur apud Livium. Varro lib. iv. de L. L. ubi explicat nomina Rei Militaris antiquæ, de his solis *Triariis* scribit, quod in acie tertio ordine extremis subsidio deponerentur. Sed & ex iis quæ subjicit patet nomen *subsidiis* proprie his convenisse quod subliderent. Inde *subsidium* appellatum. Plautus:

Agite nunc, subsidite omnes, quasi solent Triarii.

Considere certe solitos in extremo agmine dum eventum certaminis expectarent, quo à prioribus *Hastatorum & Principum* ordinibus dimicabatur, ipse etiam Livius docet lib. viii. *Triarii*, inquit, *sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto*. Subsidebant etiam qui in insidiis collocabantur, sed alia ratione, ut nimirum occultiores essent. Idem Livius lib. i. *Egressus omnibus copiis, partem militum locis circa densa obsita virgulta obscuris subsidere in insidiis jussit*. Inde & *subseffa* recentioribus Latinitatis auctoribus pro insidiis, & *subseffores* pro insidiatoribus. Vegetius lib. iii. cap. vi. *In itinere autem minus armatus minusque attentus est miles, & superventus impetu vel fraude subseffa repente turbatur*. Sic enim recte emendant ex veteribus libris. Alibi eadem voce usus est idem Vegetius. Et *subseffa* pro *subseffione*, id est insidiis in quibus positi subsidunt. Græci quoque παρκαθέζοντες de insidiis in occulto positis dicunt. Onofander Strategico cap. vi. πολλάκις γὰρ ἐνέδραι πλεμίων παρκαθέζοντες. Sic enim legendum, non ut vulgo legitur, παρκαθέζοντες. Græci etiam ἐνέδρας appellant ab insidendo, ut Latini *insidias*. Non semper sedebant qui in insidiis collo-

cati

cari erant, sic & cubabant aliquando, & velut prostrati jacebant. Quocunque modo sese haberent dum recte non starent, *subsidiere* verbum de his poterat usurpari. Sic Græci λέχϑιδϑ idem quod ἐνέδρα vel *insidia*, ἀπὸ τοῦ λέχος à lecto vel cubili, οἱ γὰρ ἐνεδράοντες κατὰ κλίνας αὐτοὺς ὡς ἐπὶ λέχους. Quia qui in *insidiis* sunt ita procumbunt ac si in lecto jacerent. Alia sunt *subsidia* quæ deponuntur ad auxilium suo tempore ferendum laborantibus, cum opus esset. Si à *subsидendo* sic appellata sunt, ut *Triarii* quia subsiderent in extrema acie, nihil prohibet & *præsidia* inde quoque nomen nata videri. Cure enim *subsidia* à subsидendo, non etiam *præsidia* à præsidendo, quasi qui in præsidiiis dispositi essent non eodem modo considerent quam illi qui in subsidiiis erant collocati? Hoc si est, certe & qui urbem obsidebant, etiam confedisse videri debent atq; inde *obsidium* appellatum. Hæc inepta sunt. *Præsidium* & *subsidium* ita differunt, ut illud sit quod ante ponitur, hoc vero quod post ponitur. Nam castella & prætenturæ stationesque quæ ante castra à ducibus ponebantur, *præsidia* appellabantur. Quæ copiæ ad auxilium reservabantur post acies primas sepositæ, *subsidiis* nomine veniebant. Recte Festus: *Præsidium est quod pro utilitate & salute alicujus auxilii gratia preponitur. Subsidium quod postpositum est ad subveniendum laborantibus.* Non *Triarii* tantum qui revera subsidebant, pro subsidio erant in priorie acie pugnantibus, sed etiam *Principes* qui non considebant, subsidiarii haud minus fuere *Hastatorum* quam *Triarii Principum*. Utramque aciem *Principum* & *Triariorum subsidiorum* nomine sæpe Livius appellat. Ἐφεδραί Græci vocant qui res Romanas tractarunt. Qui stationes agebant pro portis castrorum aut urbium, aut in prætenturis limitum, sic etiam iisdem Græcis appellantur, & ἐφεδραίαι stationes ipsæ in quibus milites non sedebant. Unde apud Polybium, ὅθεν Ῥωμαίοις θάνατον προσέλαμον τῷ λιπόντι τῷ ἐφεδραίῳ. Apud Romanos morte multatur qui stationem deseruerit. Non in istis igitur nomen ἔδρα semper significat residendi vel subsidendi actum, sed fixum & immotum ejus qui aliquid custodit aut speculatur, aut tuetur, statum, quia sedentes magis immobiles & quasi in uno loco defixi. Nam qui stant statim progredi possunt, & locum mutare. Qui sedent, debent prius surgere ac stare & tum demum moveri ad gressum. *Triarii* non semper in prælium educe-

educebantur, sed primis Reipublicæ temporibus ad castra servanda ac tutanda destinabantur. Cujus moris aliquot exempla occurrunt apud Livium. Cum ad præsidium castrorum relinquebantur non subsidebant. Nam Romani in castris stabant. At Cæsar Gallos observat in castris suis sedisse, quod præter morem Romanorum fuit. An & tunc subsidarii *Triarii*? Certe ultimum victis & è fuga se recipientibus subsidium castra. Eo sane tempore quo *Triarii* ad castrorum custodiam remanebant, soli *Principes* secundam aciem, sed & ultimam, constituebant, eamq; *Hastatorum* primæ aciei subsidiariam. Liv. lib. iv. *Dictator autem parte altera subsidia & secundam aciem adortus.* Hic secunda acies *Principum*, *subsidiorum* nomine appellatur haud minus quam postrema *Triariorum*. Item lib. vi. *Impulsa frons prima, & trepidatio subsidii illata.* Præter frontem primam ergo, quæ & prima acies, cæteræ post sequentes nomine *subsidiorum* veniebant, id est *Principum* & *Triariorum*. Item lib. xxi. *Scipio jaculatores & Gallos equites in fronte locat, Romanos Sociorumque quod roboris fuit in subsidii.* Quo loco notandum etiam *Hastatos* ab eo inter subsidia reponi respectu jaculatorum & equitum qui in prima acie consistebant. Idque etiam apud Polybium legitur. In antiqua illa militia *subsidii* firmare aciem nihil aliud est quam post primam aciem alias subsidiarias ponere, *Principum* nempe & *Triariorum*. Quod idem Livius lib. ii. vocat *ordinibus introrsum aciem firmare*, id est *ἐς βάθος*, ut Græci dicunt: *Equitatu misso mediam turbaverat hostiam aciem, quia dum se cornua latius pandunt, parum apte introrsum aciem firmaverant.* Cum omnis igitur quæ à tergo primæ aciei ponebatur acies *subsidiaria* esset, proprie tamen inter tres acies quæ more sollemni ordinabantur in exercitu Romano ad pugnam instructo & parato, *Triarii* hoc munus habuerunt, & inde etiam nomen. Nam *Triarii* iidem qui & *tertiarii*, quia *trius* veteribus Romanis idem qui & *tertius*. Sic igitur dicti quod duobus primis ordinibus pugnantibus *Hastatorum* & *Principum*, ipsi tertii subsiderent ad certamen ultimo suscipiendum, remque restituendam si parum prospere apud priores acies pugnatum fuisset. *Triarii* autem iidem quos Græci *τρίτος* & *ἐπίδωκος* appellabant tam in agone ludicro quam in lusu tabulæ. Nam duobus certantibus aut ludentibus qui tertius adsidebat ut in locum victi succederet & cum victore con-

tenderet. Hefychius: Ἐφεδρῶ, παβλιγῆς τρίτῳ, Suidas, Ἐφεδρῶ ἔστιν ἐν ταῖς ἀγῶσι, ὁ καθ' ἑξῆς εἰς τὸ ἀγωνίζεσθαι ταῖς νικῶσι. Apud Sophoclem Ajax dicitur Ἐφεδρῶ, ὅπ' ἔχαιτο καὶ ὡς Ἐφεδρῶ ἐλείφθη μοι ὡς κακὸν, οἷον πρὸς ταῖς πρώτοις κακῶς. Ergo Ἐφεδρῶ tertius & ultimus ad pugnandum paratus post duos primos. Hanc plane τάξιν ac τάσιν obtinuerunt in acie Romana *Triarii*, qui Ἐφεδροί, & τρίτοι, & ἔχαιοι. Unde illis nomen *Triarii*, quod τρίτοι, qui & postremam aciem & tertiam claudebant. Glossæ: *Tertiarius*, Ἐφεδρῶ. Revera subsedisse etiam credamus, cum auctores id constanter tradant. Et hoc ipsum huiusmodi Ἐφεδρων in certaminibus proprium. Aristophanes, νῦν δὲ ἐμελλε Κλεθρημίδης Ἐφεδρῶ καθεδεῖσθαι *Triarii* tamen non confidebant nec sidebant, ut mirer illud verbi de his usurpasse Livium lib. VIII. *Triarii sub vexillis confidebant sinistro crure porrecto. Confidere* proprie dicuntur qui cum pluribus sedent. Non sedisse *Triarios* vel ipso Livio auctore probabo, qui genu tantum dextro innixos fuisse dicit cum expectarent signum ducis ad confurgendum, & prælium capefendum. Sic enim ille paulo post de iisdem *Triariis* Romani exercitus: *Et Triarii genu dextro innixi nutum consulis ad confurgendum expectabant.* Genu igitur dextro innixi erant, sinistro crure porrecto, ut idem Livius ibidem ait. Et hoc erat, *subsidere* non confidere nec sedere. Nam quisquis quocunque modo & positura corporis, minorem se & humiliorem facit stante *subsistere* dicitur. Hæc ordinaria porro & sollempnia fuere *Triariorum*, immo & *Principum*, atque etiam *Hastatorum*, si respiciantur velites qui ante eos prælium committebant, legitimaque omnino in acie Romana subsidia, sicut instruebatur in antiqua militia, & quidem ferre semper duplici acie ex civibus Romanis ac legionariis quales erant *Principes* & *Triarii*. Quinimmo in *Triariis* robur exercitus consistebat ac legionum, qui tamen subsidio semper in extrema acie ac tertia collocabantur. In nova autem ordinatione rariora subsidia, & extra ordinem usurpata, atque ex Auxiliariis ut plurimum adjungi solita, nec in aciei legitimæ numero ac nomine censita. Primi velites in prisca ordinandi ac pugnandi arte fortunam belli tentabant, ante omnia peditum signa. Deinde *Hastati*, post eos *Principes*, postremo demum loco *Triarii*. Hæc enim subsidiorum conditio & consuetudo, ut non in aciem pro-

procedant nisi prioribus debellatis, & locus demum sequentibus derur cum priores acies cesserunt. Sic, ut ante dicebamus, subsidiarii fuere velitibus *Hastati*, *Hastatis Principes*, *Principibus Triarii*. Sæpe autem usu veniebat, ut vel velites cum equitibus mixti victoriam ab hoste reportarent. Quod si ab his debellatum esset, tum stabili legionariorum agmini nihil reliqui erat quod agerent. Hinc, ut supra notavimus, *περικινδυνεύοντες* velites à Polybio vocantur, quod primi fortunam belli tentarent, & periculis obiectarentur ut pro omnibus ita ante omnes, adeo ut primæ aciei quodammodo locum obtinerent. Et tantum erat instar in illis, ut re benegesta nihilominus nomen decusque penes legionarios qui se loco non moverant, nec quidquam promoverant, maneret. Quod Polybius egregia similitudine docet, Romanorum & Ætolorum res comparans, vel ex ipsa Ætolorum sententia qui dicebant, quod tunc ageretur, *ἂναι ὁμοιοτάτων τῇ ᾧ παρὶς ᾧ στρατῶς οἰκονομία καὶ χειρισμῶ*: *Simillimum esse rei militari qualiter administratur in praeliorum ordinationibus*. Καὶ γὰρ ἐπ' ἐκείνων, inquit, *περικινδυνεύει μὲν ὡς θηρία καὶ περὶ πολλὴ τὰ κῆφα καὶ περικινδυνεύει τὸ διωάμεως, τὸ δὲ θηρία φλὺτ' ἐκβαίνοντων ἢ φάλαγγος καὶ τὰ βάρεια λαμβάνει τ' ὅπλων*. Nam quum acie instructa decertatur, ut plurimum levius armati, quæ copiarum pars est maxime strenua & efficax, prima periculum sustinet, & ante alios caditur, phalanx autem & gravis armatura, felicitis pugnae eventus gloriam ac titulum aufert. Utitur verbo *περικινδυνεύων* de levi armatura quæ prima periclitatur in acie. Quo nomine *περικινδυνεύοντων* velites Romani exercitus plurimis locis appellat. Sic reliquæ acies stabilis milites quasi subsidiariæ erant levi illi armaturæ quæ prima cum hoste congrediebatur. Quod disertis verbis idem Polybius asserit in redditione similitudinis quam ex aciei instructione duxit: *Νῦν δὲ ὡς ἀπλησίως*, inquit, *περικινδυνεύουσι μὲν Αἰτωλοὶ καὶ Πελοποννήσιοι οἱ τῆς πρὸς σιμμάχου πρὸς, ἐφ' ἑαυτοῖς δὲ Ῥωμαῖοι φάλαγγος ἔχοντες ἀφ' ἑαυτοῖν*. Similiter nunc Ætoli & eorum Socii Peloponnesii pericula primi obeunt, Romani autem in subsidio sunt, phalangis instar obtinentes. Et si autem hæc ex Græcorum militari re ducta sit comparatio, idem tamen fuit in Romana. Nam velites & levis armatura ante legionarios pugnae fortunam periclitabantur, legiones quasi subsidiariæ sequebantur, in plures acies distributæ. Velitum igitur

veluti prima fuit acies. His subsidiaria subjungebatur acies ex *Hastatis* instructa. Deinde altera ex *Principibus* adornata. Omnes sibi invicem subsidiariæ. Post has ultimo loco *Triariorum* postrema acies vere subsidebat. Quæ quod raro ad manus veniret, ideo ut plurimum custodiæ castrorum præficiēbatur, ut ex Dionysio Halicarnasseo & Livio constat. Quinimmo si quando castra ab hoste oblecta tenerentur, qui eruptione esset repellendus, *Principes* & *Hastati* intra castra instructi portis erumpebant, *Triarii* in præsidio castrorum remanebant. Livius lib. XI. *Dua cohortes & Triarii duarum legionum in præsidio castrorum manere iussi.* Ut autem *Triarii* subsidiarii habebantur *Principum* in acie, ita & *Principes Hastatorum*, ut ex eodem Livio discimus eodem libro: *ad dextram Principalem Hastatos legionis in subsidiis posuit.* Nec ergo dubium est, quin *Hastati* in subsidiis fuisse intelligendi sint, respectu velitum qui ante illos pugnabant. Nam quicumque expectat dum suum tempus pugnandi adveniat, aliis interim pugnantibus, is Græce dictus *ἑπὶ* quia sedebat otiosus dum alii duo stantes certabant. Inde & *subsidia* etiam de omnibus copiis, quæ post alias stantes expectant donec ad se veniatur. Velitum sic fuere subsidiarii *Hastati*, qui primam tamen inter legionarios aciem constituēbant ex tribus subsidiorum ritu aliis post alias collocari solitis. Inde & Livius lib. VI. loco quem jam ante produximus, primam aciem ex jaculatoribus & equitibus facit, reliquas quæ sequebantur ex gravi stabiliq; ac legionario milite, subsidiarias. Quod & alibi apud eum legere est, ut lib. XXII. ubi pugnam ad Cannas narrat: *Ex jaculatoribus ac cæteris levium armorum auxiliis prima acies facta.* Hi ergo erant *antesignani*, quibus primam aciem multis aliis in locis assignat. Et sic omnino iidem fuerunt illi *antesignani* Liviani cum his quos ita hoc nomine Cæsar appellavit & Varro, qui & velites, quod ante signa legionum nempe pugnarent. Quinimmo cum legimus apud auctores aciem in *antesignanos* & *postsignanos* dividi, per *antesignanos* omnino intelligere debemus jaculatores aliosque levis armaturæ pedites, qui olim velites, id est, ante Cæsaris ætatem, dicebantur. Idque multis ac claris ejusdem Livii locis licet confirmare. Semper enim de levi armatura dicit ante signa legionum eos pugnam incepisse, & sæpe eisdem *antesignanos* appellat. Ita scribit lib. XXII. *Prima levis*
arma-

*armatura Romanorum praecipuum inferiore loco succedens tumultum pulsa detrusaque terrorem in succedentem intulit equitem, ac ad signa legionum refugit. Peditum acies inter percussos impavida sola erat. Ecce levis armatura, id est velites, qui primi vel ante equites pugnam inchoant. Pulsi terrorem inferunt in succedentem equitem & ad signa legionum refugiunt. Ante signa igitur legionum dimicabant cum equitibus, & signa ibidem appellavit legionum, aciem peditum quam impavidam stetisse ait inter percussos, quæ sub signis ibat, & signa sua sequebatur. Nam nulla velites signa habuere. Et lib. xxiv. Primo antesignani Pænorum, deinde ipsa signa perturbata. Illi Pænorum antesignani de levi armatura sive jaculatoribus equitibusque accipiendi. Ipsa signa de peditibus subsignanis vel postsignanis. Item lib. iv. Signa nunc resistantia deferuntur ab antesignanis, nunc inter suos manipulos recipiuntur. Antesignani ibi sunt quos Græci vocant *ἀντιστράτης* ὁ ἀντιστράτης, id est levis armaturæ pedites: signa vero quæ manipulis peditum anteferebantur intra suos manipulos recepta fuisse dicit. Idem lib. ii. Quamquam vix dirigendi aciem spatium peditibus fuit, adeo inter primam trepidationem dum post signa ordines instruunt subsidiaque locantur, invecta subito ab latere Romana ala equitum non pugna modo incipienda sed consistendi ademit locum. Post signa sua ordines peditum instruebantur: quæ ante illa signa dimicationem auspicabantur, leves armaturæ, id est antesignani. Et lib. xxxiii. legiones in ipso itinere prælium committunt, & primo adeo acriter invaserunt ut antesignanos impulerint. His omnibus locis antesignani non possunt aliter accipi, quam pro levi armatura, sive velitibus qui cum ipsi sub signis non irent, ante signa legionum procurrebant pugnandi gratia. Qui postsignani ergo dicebantur omnes omnino pedites gravius armatos comprehendebant, qui post signa instrui soliti, hoc est, tam Hastatos quam Principes. Hæc autem divisio aciei in antesignanos & postsignanos posterioris omnino est militiæ non antiquioris, qua per Hastatos, Principes & Triarios ordinabantur acies. Duæ tunc habebantur tantum acies, in latitudinem sive introrsus: levis armaturæ una, quæ ante signa gravis armaturæ pugnam ciebat: altera legionariorum quæ sub signis ibat, & signa sua sequebatur præcedentia. Hi postsignani erant. Nulla post hos subsidiaria acies sequebatur,*

batur, ut in antiqua militia, qua triplex acies *postsignanorum* instruebatur, ita ut duæ sequentes subsidiariæ haberentur ad primam. Una ergo in nova militia ac simplex fuit acies legionarium, sive gravis armaturæ militum, nullis à tergo fulta subsidiis, vel acie subsidiaria, ut olim fuit solemne. Hæc simplex acies gravis armaturæ *postsignanorum* dicebatur, quia postsigna sua erant instructi quæ aciem præcedebant. Ante illa signa levis armatura excurrerebat ad pugnam, qui *antesignani* appellabantur. Hoc ex multis locis Livii colligi potest, qui primam aciem levi armaturæ assignat, quos & *antesignanos* etiam sæpius appellavit. Ammianus quoque Marcellinus lib. xxiv. *antesignanos* velites fuisse videtur agnoscere, cum de Juliano scribit, *cum nunc antesignanum, nunc agminibus cogendis insistentem cum expeditis velitibus, ne quid lateret abstrusum frutecta squalida valesque scrutari solitum*. Hoc enim proprium velitem & levis armaturæ, ut modo ante signa excurreret, modo in ultimo subsisteret agmine. Ideo dicit Julianum cum velitibus & peditibus nunc *antesignanum*, nunc cogendis agminibus insistentem versari solitum, ad explorandas & scrutandas quæ ab hoste metuebantur ex locis tectis ac sylvosis infidias. Frontinus tamen lib. ii. cap. ii. de ordinanda acie ubi *antesignanorum* primam aciem facit, & secundam *postsignanorum*, diversos *antesignanos* ponit à velitibus ac levi armatura. Pugnam ibi describit Syllæ contra Archelaum, acie triplici ab eodem Sylla instructam. Si ergo *antesignanorum* prima acies fuit, secunda *postsignanorum*, quinam illi quorum tertiam aciem fuisse voluit? Apud Plutarchum & Appianum in eo prælio describendo, nihil quo hæc illius instructio à Frontino tradita illustrari possit, habetur. Nisi quod duas cohortes in subsidio habuisse Syllam Appianus narrat, cum quibus impressionem in hostem fecit. Ea tertia acies fuerit Syllæ. Sciendum est autem quo tempore Sylla cum Archelao dimicavit, jam tum desuisse apud Romanos aciei per *Hastatos, Principes* ac *Triarios* instruendæ modum, ante à Mario sublatum. Plutarchus cum Appiano triplicem fuisse Syllæ aciem perhibet, sed primam aciem bicornem facit, in lævum & dextrum cornu nempe divisam, in longitudinem directam, tertiam autem subsidiariam, & à tergo primæ aciei, quæ ex duobus cornibus composita erat, collocatam. Dextro cornui ipse Sylla præerat, sinistrum dederat

dederat Murenæ. Gallus & Hortensius ejus legati, in ultimo post primam aciem positi, cohortes subsidiarias ducebant. Γάλλος δὲ καὶ Ὁρτίσιος οἱ πρὸς βόλῃ ἀνείρας ὑπὸ τακτικῆς ἔχοντες ἑχαπὶ παρεμβάλον ὑπὸ τῶν ἀκρῶν φύλακες πρὸς τὰς κυκλώσεις. Hæ sunt duæ cohortes de quibus Appianus in eadem acie describenda dicit, ἃς ἐπὶ ταχαπ ἐφεδρεύειν, quæ in subsidio collocata erant. Plutarchus ὑπὸ τακτικῆς vocat, id est, post aciem primam ordinatas, & ἑχαπὶ, id est ultimam aciem claudentes. Duplex igitur acies fuit Syllæ in fronte disposita, id est duobus cornibus, lævo ac dextro. Quod instructionis genus & è Tibullo his versibus signatum :

Sed libeat duplici se junctim cernere Marte

Dexter uti lævum teneat dextrumque sinister

Miles, sitque duplex gemini victoria casus.

Sed præter aciem illam duplicem in fronte directam, Sylla tertiam aciem subsidiariam à tergo habuit collocatam, ex duabus tantum cohortibus constantem. Nam exiguas admodum in eo prælio copias habuit Sylla. Ordinatio vero qua usum esse in hoc certamine scribit Frontinus nullo modo convenit cum Plutarchi descriptione. In *antesignanos* & *postsignanos* eam dividit, qui duas acies constituerunt, *antesignani* primam, *postsignani* secundam. Hæc duo forsitan cornua fuerunt instructionis Syllanæ pro duplici acie, cujus dextrum cornu primæ aciei locum obtinebat, sinistrum secundæ. Sed quomodo dextrum cornu potuerit esse ac dici *antesignanorum* acies, sinistrum *postsignanorum*, non video. Quamlibet enimingas dextrum cornu adversus hostem propius promotum, & sinistrum magis retractum, non tamen qui in dextro cornu erant, potuere appellationem *antesignanorum* habere respectu illorum qui sinistrum cornu tenebant, nec hi *postsignani* vocari comparati cum dextri cornu militibus. Hæc nomina *antesignanorum* & *postsignanorum* non conveniunt ut dixi nisi ei ordinationi quæ geminam aciem in latitudinem vel introrsus disponit, alteram nimirum post alteram. Nam qui in primâ acie consistunt quasi *antesignani* sunt sequentis aciei à tergo collocatæ, & qui in secunda acie collocantur à tergo primæ, *postsignani* videntur esse pugnantium in prima acie. Ne id quidem procedere recte potest in illis ordinibus qui signa sua sequuntur. Omnis enim acies quæ sub signis ordinata est, cum signa sua sequatur, *postsignanorum* vicem habet, &

R

revera

revera sunt *postsignani*. Nulli enim dicuntur in acie *antesignani* nisi qui ante signa peditum legitima acie ordinatorum dimicant. Quod proprium fuit velitum & levis armaturæ. Signa hi propria nulla habuerunt, ideo cum ante eos dimicandi gratia procurrent qui sub signis ordinabantur, *antesignani* ex eo dicebantur. Nec alii proprie *antesignani* appellati sunt, ut ante docuimus, cum tamen *Principia* legionis quibus ante signa in prælio locus assignabatur, etiam possent revera *antesignani* dici. Nulla quippe & ipsi signa sequebantur, sed ante signa peditum legionariorum prælium capessiebant. Nec etiam audio Livium, qui *Hastatos & Principes* veteris militiæ vocaverit *antesignanos*. Si ita olim vocati sunt, non alia de causâ hoc nomen videntur habuisse, præter eam quæ supra à nobis exposita est. De eo tamen adhuc dubito. Falsa est enim ratio quam reddit, cur ita sint appellati, quod ante sua quique signa instructi essent. Id enim non posse constare satis sciunt qui *melancholi* Romanorum vel primis labris degustarunt. Et ipse sibi Livius plane contradicit pluribus locis, ubi *antesignanos* nominat pro velitibus qui ante signa peditum pugnam inibant. Sed manifestissime secum ipse pugnat qui *antesignanorum* nomine appellavit tam *Principes* quam *Hastatos*, pugnam Scipionis cum Hannibale describens lib. xxx. cum idem lib. viii. ubi aciem qua conflixere Latini cum Romanis commemorat, *Hastatos & Principes* solos in *antesignanos & postsignanos* dividere videatur omissis *Triariis*. Ita enim scribit, ex parte Romanorum *trucidatum exercitum omnem, casus Hastatos, Principesque, stragem & ante signa & post signa factam. Triarios postremo rem restituisse*. Clare dicit stragem factam esse *antesignanorum & postsignanorum*, cæsis *Hastatis & Principibus*. An ergo *Hastati* pro *antesignanis*, *Principes* pro *postsignanis*? Ita certe & Frontinus primam aciem facit *antesignanorum*, secundam *postsignanorum*. Sed videtur potius Livius per *antesignanos* rotarios & levem armaturam significasse, quæ ante omnia signa peditum pugnabat. *Postsignanorum* autem appellatione *Hastatos & Principes* designasse. Cur igitur alio loco *antesignanos* eos vocavit? Sic ipse parum sibi constat & diversa miscuit. Ex his liquet divisionem aciei in *antesignanos & postsignanos* competere ejusmodi instructioni quæ duas tantum acies disponit, unam ante, & alteram post, ut prima sit *antesignanorum* ante signa

signa pugnantium, altera *postsignanorum* post sua nimirum signa collocatorum, cum *antesignani* nulla quæ sequerentur signa haberent. Mire igitur confudit Livius aciei ordinandæ morem suo tempore receptum cum antiquo. Ea quippe aciei divisio in *antesignanos* & *postsignanos* Cæsarianæ militiæ fuit, quæ triplicem tantum aciem in frontē instruebat, nulla acie subsidaria post tergum collocata, non illius antiquæ in qua triplex introrsus statuebatur acies per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios*. Hæ tres enim fuissent acies *postsignanorum* cum una esset *antesignanorum*, nempe velitum qui ante signa pugnam incipiebant. Sic quatuor omnino extitissent acies, tres *postsignanorum*, & una *antesignanorum*. At in nova militia qualis sub Cæsaribus usurpata est, non quatuor acies invicem aliæ post alias dispositæ ordinabantur, sed duæ tantum, una levis armaturæ sive *antesignanorum* sine signis pugnantium, sed ante signa aliorum: altera gravis armaturæ, id est *postsignanorum*, qui sua signa sequebantur. Quis ergo possit inficias ire, quin Livius hæc duo genera aciei instruendæ miscuerit novum & antiquum? Sed de hijs adhuc infra, ubi de levi armatura & velitibus tractabimus. Ubique sanè idem Livius signa peditum Romanorum distinxit ab *antesignanis*, id est levibus, quod nulla signa haberent. Ita enim & lib. xxvii. scribit, De Asdrubale qui prope Batulam pro castris equitum stationes habebat, *in eas velites antesignani, & qui primi agminis erant, advenientes ex itinere, priusquam castris locum caperent, adeo contemptim impetum fecerant, ut facile appareret quid utrique parti animorum esset. In castra trepida fuga compulsi equites sunt, signaque Romana portis prope illata*. Ecce diversa signa Romana, quæ peditum gravius armatorum fuere, ab *antesignanis velitibus*. Sic enim eos hic appellat, ut Varroni *veles antesignanus* dicitur. Alibi simpliciter *antesignanos*, aut *velites*. Forma antiquæ ordinationis Romanæ per subsidia constructæ habuit sic.

V E L I T E S.

V V V V V V V V V V V V V V V
 V V V V V V V V V V V V V V V V
 V V V V V V V V V V V V V V V
 V V V V V V V V V V V V V V V
 V V V V V V V V V V V V V V V
 V V V V V V V V V V V V V V V
 V V V V V V V V V V V V V V V

H A S T A T I.

h h h h h h h h h h h h h h h
 h h h h h h h h h h h h h h h
 h h h h h h h h h h h h h h h
 h h h h h h h h h h h h h h h
 h h h h h h h h h h h h h h h
 h h h h h h h h h h h h h h h

P R I N C I P E S.

P P P P P P P P P P P P P P P
 P P P P P P P P P P P P P P P
 P P P P P P P P P P P P P P P
 P P P P P P P P P P P P P P P
 P P P P P P P P P P P P P P P
 P P P P P P P P P P P P P P P

T R I A R I I.

t t t t t t t t t t t t t t t
 t t t t t t t t t t t t t t t
 t t t t t t t t t t t t t t t

Prima

Prima acies *velitum*, secunda *Hastatorum* quæ subsidiaria est *velitibus*. Tertia *Principum*, quæ pro subsidio *Hastatis*. Quarta & ultima *Triariorum* quæ *Principum* subsidiaria post tergum omnium collocata, & postremam aciem claudens. Non quadruplicem tamen aciem auctores Romani eam quæ sic instructa erat nominabant, sed triplicem quia eas tantum acies pro legitimis habebant, quæ ex legionario milite & sub signis ordinato, & scutato, sive gravius armato, constabant. Sic universa ac iusta Romana acies poterat dividi in *frontem* ac *subsidia*. *Frons* de prima acie quæ in fronte instituta, *subsidia* de reliquis omnibus quæ à tergo locabantur. Agellius lib. x. cap. ix. Quibus modis, quoque habitu acies Romana instrui solita sit, quæque earum instructionum sint vocabula. *Vocabula*, inquit, *militaria quibus instructa certo modo acies appellari solet, frons, subsidia, enneus, orbis, globus, ferra, forfices, ala, turres*. Sallustius de Catilinæ acie: *Octo cohortes in fronte constituit, reliqua signa in subsidiis artius collocat*. Hic fuit vetus instructionis modus. In fronte signa *Hastatorum* constituta primam aciem faciebant, reliqua signa *Principum* & *Triariorum* subsidiorum vicem habebant, post *Hastatorum* acies collocata. At velites ante frontem, id est ante primam aciem excurrentes, non peculiarem aciem formarunt. Ideo dixit Livius, *triplex acies Romana stetit*, quia hæ tres tantum statatariam pugnam pede collato capecebant. Velites modo in primam aciem procurrebant, modo in ultimam per intervalla sequentium signorum recurrebant, sine signis, sine ordinibus. Cum igitur in antiqua ordinatione legionum Romanarum quæ per *Hastatos, Principes & Triarios* in triplicem exurgebat aciem, secunda primæ esset subsidiaria, & tertia secundæ, non alia fuerunt tunc in exercitu Romano subsidia vel subsidiariæ acies. Et falluntur immensum viri doctissimi, qui in libris suis de Re Militari Romanorum notarunt, singulas acies *Hastatorum, Principum & Triariorum*. suis subsidiis solitas firmari, & hæc esse quasi secundam aciei partem. Quæ sane nullus intelligo. Nam illæ ipsæ acies quibus sua fuisse subsidia dicunt, pro subsidiis sibi invicem fuerunt, ut *Principes Hastatis, & Triarii Principibus*. Atque ita accipi debent verba Livii ex lib. xxxiv. *Fessos jam suos consul ex secunda acie subsidiariis cohortibus inductis accendit*. Ex secunda nimirum acie *Principum* subsidarios manipulos


pulos induxit qui fessos *Hastatos* in prima acie pugnantes sublevarent. Subsidia illa, quorum apud Livium mentio in veterem militiam nunquam aliter intelligenda. *Præter, hæc inquirunt, subsidia quæ post singulas acies collocabantur, alia fuere subsidia, quæ vel in extremo vel alio commodiore loco à cætera acie separata constituebantur.* Hoc genus subsidiorum frequentatum est in nova militia, de quibus sequenti capite tractabitur.

C A P. XIII.

De Subsidis in Romanorum acie collocandis, sicut ea collocari mos fuit in ea militari disciplina, quæ sub Caesaribus observata est.

Sic se subsidia & subsidiariæ acies habuerunt in antiqua instructione Romana, ut superiore capite à nobis expositum fuit. Non alia tunc subsidia locabantur, nisi quæ legitimæ aciei vicem locumque obtinerent. Et ratio ordinationis quæ eo tempore utebantur in exercitu ad pugnam instruendo id necessario exigebat. Cum enim in latera aliæ post alias acies instrui solerent, quæ non simul pugnarent nec æqua fronte in hostem procederent, sed ubi primæ cessissent, secundis ac tertiis locus ad dimicandum suus obveniret, sequentes, ut necesse fuit, præcedentium subsidiariæ erant. Ex eo igitur ordinandi instituto, quod tunc obtinebat, tot legitimæ acies exsurgebant quot subsidia disponebantur. Et quæ ultimo locabantur ea omnium firmissima habita. Nam gradatim à prima fronte ad postremam aciem, à junioribus & infirmioribus ad robustiores exercitatioresque atque etiam ætate provectiores ordo procedebat subsidiorum. Certum est autem, & plurimis id observatum, velutum procursionem sine ordine sed catervis inordinatis pugnantium, non debere pro prima acie computari, cum ante signa ordinatorum sub signis peditum dimicarent, velitationibus & eminus jaculationibus. Prima ergo acies gravium peditum non habenda pro subsidiaria, sed omnes quæ à tergo ejus collocantur rectis ordinibus, subsidiorum vicem obtinebant. Atque ita auctores Romani loquuti sunt. Frontinus de consulibus Romanis contra Pyrrhum apud Asculum aciem instructam dirigentibus: *Contra consules aptissime divi-*
sis


sis in cornua equitibus, legiones in prima acie & in subsidiis collocarunt. Prima acies eo tempore ex *Haslatis*, subsidia ex *Principibus* & *Triariis*. Atque ita Livius passim. Acies igitur antiquorum Romanorum per subsidia disponi solita corpori hominis simillima fuit. Caput in *Haslatis* spectatur, quod erat imbecillius, truncus in *Principibus* sive pectus, quod fuit robustius. Hic enim robustior miles atque ætate firmatus. Et hæc secunda acies post primam, ac prima ipsa subsidiaria. Pedes sive basis ac fundamentum totius corporis in *Triariis* considerabatur. Quæ tertia acies fuit omnium firmissima atque ultima subsidiaria. Immo & *subsidii* vicem proprie sustinebat, utpote in ultimo collocata, & eo nomine præter alias censébat, ex paucioribus constans quam reliquæ acies peditibus, sed lectissimis & fortissimis, ut mos fuit subsidia eligi ac deponi. Præterea revera subsidebant pugnantis prioribus ordinibus, donec pulsus aut cedentibus antepositis ad se veniretur. Diversus ab hac instruendæ aciei modus sub Cæsariis usitatus aliam etiam induxit subsidiorum locandorum rationem. Non enim in rectum aliæ post alias tres ordinabantur, sed in fronte ita ut brachiis hominis expansis triplex illa acies assimilaretur, non ipso corpori à capite ad pedes protento. Duo cornua, id est prima ac ultima acies in duabus manibus conspiciuntur, media in ipso pectore. Forma subjecta utriusque differentiam ostendet.



Recti ordines à summo capite ad imum descendentes speciem ordinationis antiquæ ostendunt per *Haslatos*, *Principes* & *Triarios* instrui.

instrui solitæ, acie introrsus trifariam divisa. Ordines vero transversî à dextro ad sinistrum se porrigentes novitiæ instructionis formam exhibent per duo cornua detectæ cum media acie. In ista quæ triplex in fronte ordinabatur nulla subsidia à tergo, cum enim adlatus sibi invicem junctæ sint hæ ternæ acies non alia aliipoteest esse subsidio, ut in prisca ordinatione. Si vellent igitur subsidiarias copias habere Duces exercitus in hac ordinatione, extra ordinem erant quærendæ & adplicandæ. Idque factitabant modo à tergo cornuum eas collocando, modo post mediam aciem, cum olim stata esset sollemnisque atque unius formæ ex ipsa instructione proveniens ponendorum subsidiorum ratio. Triplex illa acies ex media ac duobus cornibus in fronte directâ penes Cæsarianorum temporum Duces ex Romano & legionario milite ferme semper instituebatur, ut & apud veteres illa in rectum disposita per *Hastatos, Principes & Triarios*. Subsidia autem ut extra ordinem fuere, ita non semper ex Romanis sumebantur, sed aliquando & ab Auxiliis. Apud veteres autem subsidia semper ex Romanis capi solita. Quia ita ordinationis institutum ferebat ut ex triplici acie in rectum & introrsus directâ, duæ ultimæ essent subsidiariæ. Consueverant autem & veteres etiam cornua habere in acie, sed ex Sociis, quæ tanquam alæ protegebant mediam aciem Romanam, quæ sola legitima habebatur. Reliquæ illæ utrimque ad latera quasi appendices computabantur, nec inter acies numerum aut nomen habebant. Idem postea fecerunt Cæsarianorum temporum Romani de copiis Auxiliaribus, quæ in censu levis armaturæ ponebantur, nec in justæ aciei appellationem cadebant, ut alibi demonstratum est. Multum igitur differt triplex acies in fronte instituta, & introrsus vel in latera disposita. Quæ sic ordinata est, duas habet subsidiarias sibi invicem succedentes, & ambas primæ, ut in antiqua Romanorum instruendæ aciei forma obtinuit. At quæ in fronte triplex constituitur, ad latera invicem sibi junctæ habentur, & sine subsidiis cum altera alteri non possit esse subsidiaria. Apparet igitur Frontinum parum fuisse peritum rei militaris priscoreum Romanorum, cum militiæ suæ sæculi esset scientissimus, qui ita scripserit de Scipionis acie, qua adversus Hannibalem in Africa confluxit: *Scipio ad-versus hanc formam robur legionis triplici acie in fronte ordinatum*
per

per Hastatos, Principes, & Triarios opposuit. Si gesta hæc res fuisset eo tempore, quo scribebat Frontinus, sine dubio ita ordinati essent. At quo tempore prælium illud commissum est inter Hannibalem & Scipionem, non in fronte à Duce Romano *Hastati, Principes & Triarii* instructi sunt, sed in tres acies alias aliis sibi invicem à tergo substitutas. Nec aliter suos in adversum processuros instruxerat Hannibal, ut ex Polybio constat & Appiano aliisque auctoribus. Idem Frontinus eodem libro & capite de Cæsaris adversus Pompejum in campis Pharsalicis aciei instructione recte scripsit triplici acie illum *in fronte* suas legiones disposuisse, nempe utroque cornu cum media acie. Sed Scipionis triplex acies longe alio sensu ac ratione, ut dixi, adversus Hannibalem ordinata est, instructis nempe acpositis à tergo *Hastatorum Principibus*, & ponè istos *Triarios* collocatis. Media porro acies illo ævo, quæ ex Romanis solis ordinabatur, non solum binis à tergo subsidiis firmabatur, *Principum & Triariorum*, verum etiam singula cornua Sociorum, quæ lateribus aciei Romanæ triplicis adposita erant, totidem quoque subsidiis fulciebantur, quoniam & ipsa similiter ordinari solebant, haud secus ac Romana acies per *Hastatos, Principes, & Triarios*. Et hujus antiquæ aciei triplicis, si soli Romani numerantur: novemplicis, si Socii separatas acies fecerunt, hæc fuit forma:



Ut ex his igitur quæ diximus constat olim stata ac sollemnia, tam cornu utrique, quam mediæ aciei sua fuere & ordinaria subsidia, quorum ratio & ordo raro mutabatur. Cornuum subsidia ex Sociis, mediæ aciei ex Romanis, quæ & ipsa totidem acies erant

S

sepa-

separatæ, aliæ post alias locum tempusque pugnandi fortitæ. Procedente tempore, rebusque in militia mutatis, subsidia varie poncepta sunt, pro Ducum arbitrio, atque ex ipsorum prudentia, perinde ut locus, hostis, aut alia necessitas id exigent. Modo juxta cornua ea collocabant, modo juxta medium. Interdum simplicem aciem mediam sine subsidiis relinquebant, interdum cornua, sæpe & hæc & illam simul, subsidiis firmabant. Sic Pharnaces apud Hirtium libro de bello Alexandrino, ita aciem instruxisse suo more atque instituto memoratur, *ut in fronte simplici directa acie, cornua trinīs firmarentur subsidiis*. Hæc acies Pharnacis triplex stetit, ex duobus cornibus ac media acie, *Trina* subsidia singulis cornibus adjecta, inter acies computata non sunt. Alioquin si in hunc numerum nomenque venissent, non triplex, sed novemplex extitisset Pharnacis acies. Dixerit aliquis hunc regem fuisse Armeniæ, ac proinde alia instituta sequutum in acie instruenda, quam quæ Romanis ducibus essent consueta. Immo omnes illi externi Reges ob crebra cum Romanis belli commercia partim bellum ipsis inferendo, partim auxiliis eos juvando, mores eorum magnam partem imbuerunt. Quinetiam constat ipsum Hannibalem cum in Italiam venit pleraque sui moris mutasse, & multa à Romanis mutuatum esse, ad bellicæ rei usum pertinentia, ut alibi dicam. Hæc ipsa subsidiorum ratio, & subsidiarias acies seponendi consuetudo, tota à Romanis est, quam raro aut nunquam Græci vel exteræ nationes usurparunt. Et quamvis vocabulum ἱφειρία Græcum respondeat Romanæ voci *subsidium*, apud Græcos tamen ea vox in agonibus ludicris & monomachiis magis locum habuit quam in præliis. Græci scriptores, qui res Romanas scripserunt, ea usi sunt ad exprimendas acies Romanorum subsidiarias, quæ substituebantur in locum earum quæ cesserant hosti, ut gladiator ἱφειρῶν & suppositicius in locum victi succedens, & cum victore contendens. *Tertiarium* Latini dixerunt, non quod sæpe unus, alter, tertiusve substitueretur, ut censet Lipsius, sed quod duobus pugnantibus, tertius in locum victi supponendus, cum victore pugnaturus, interim sederet. ἱφειρὸν ἀθλητῶν Græci dicunt. Adeo autem ignorarunt Græci Tactici hanc subsidiariorum suffectionem, qui suo loco ac tempore prioribus deficientibus pugnaturos erant, ut phalangem pro subsidia-

ria

ria acie habuerint, respectu levis armaturæ, quæ prior dimicabat, & postquam prælium demum ipsa phalanx sumere solita erat. Sane ubicunque aliqui post alios pugnam ingrediuntur, quam priores deseruerunt, hi posteriores ἐφεδρων vicem & subsidiariorum obtinent. Polybius loco quem superius adduximus, ἐφεδράῳσι ἡ Ῥωμαῖοι, φάλαγγος ἔχοντες ἀσπίδα. Nempe φάλαγγς ἐφεδρεύς, & *tertiariorum* loco subsidet, dum levis armatura pugnam cum hoste committit. Quo magis magisque Romani ad Græcorum πικρῶ deflexerunt, propria in oblivionem deducta, eo rariora usurparunt subsidia. Si qua tum locabantur non eodem modo solita ut olim locari, cum semper pari forma disponebantur per *Principes & Triarios*. Catilina cum octo cohortes in fronte constituisset, id est primam aciem ex his fecisset, reliqua signa in subsidiis artius collocavit. Qui adversus eum constiterunt Romani duces, cohortes similiter veteranas in fronte, teste Sallustio, post eas reliquum exercitum in subsidiis locarunt. Nulli utrobique *Hastati*, nec *Principes* nec *Triarii*. Apud Cæsarem pauca admodum reperiuntur, insequentibus sæculis nulla. In ordinatione Arriani contra Alanos nihil subsidiorum in extremis positum extat. At vetus ordinandi ratio, ut jam ante dixi, tota per subsidiarias acies, & suppositicias explicata est. Nunc redeamus ad Pharnacis in struendæ aciei institutum, quod ipsi pæne perpetuum fuisse Hirtius significat, dum ait *suo more & instituto* aciem sic instruxisse. Cum trinis subsidiis cornua sua firmasset, *Eadem*, iuquit, *ratione hac media collocabantur acie, duobus dextra sinistraque intervallis simplicibus ordinibus relictis*. Vix hæc capere videor, haud scio an aliis capienda. Dixit simplicem aciem in fronte directam. Frons aciei media est acies inter cornua. Hæc simplex directæ est, id est, nullis subsidiis fulta. Cornua autem scribit trinis subsidiis firmata. Ergo acies in cornibus non simplices fuere, sed tantum media, utpote cui nulla adjecta fuerint subsidia. His verbis tamen ait satis diserte, eadem ratione qua in cornibus, in media etiam collocata fuisse subsidia. Quid enim aliud hæc tinniunt? *Eadem ratione hac media collocabantur acie*. Hæc intricatissima sunt, nisi eo modo quo sentio expediantur. Videtur igitur hoc velle, atque hanc existimo fuisse Pharnacis instructionem. In fronte simplicem instruxit aciem, id est, cornua cum media acie in unam

aciem conjunxit, æquata fronte, & quadrata. Ex cornibus, & media acie non plures nec separatas acies fecit, sed unam. Ideo intervalla quibus vulgo cornua à media acie, dextra sinistraque, distinguebantur, simplicibus ordinibus explevit, ut unum & continuum esset agmen, atque una & simplex acies constitueretur. Ita enim subjungit; *in duobus dextra sinistraque intervallis simplicibus ordinibus instructis*. Duo enim erant intervalla dextra sinistraque inter cornua & mediam aciem, sicut institui ab his solebant, quibus tres acies ex duobus cornibus & media acie facere placitum. Sic instructa ergo acie simplici, fronte longa & quadrato agmine, duo cornua trinis subsidiis firmavit. Idem fecit in media acie, quam pariter trinis fulsit præfidiis. Et planus est eorum verborum sensus: *Pharnaces aciem instruxit, mare suo, atque instituto. In fronte enim simplici directæ acie, cornua trinis firmabantur subsidiis. Eadem ratione hæc media collocabantur acie, duobus dextra sinistraque intervallis simplicibus ordinibus instructis*. Ex his patet verum esse quod diximus, subsidiis quamlibet grandibus nomen aciei nunquam inditum fuisse, nec per ea creditum acies multiplicari, præsertim si de auxiliariis copiis instruerentur. Hinc cum sæpe tot numero subsidia uni aciei subderentur, ut novena in hac Pharnacis ordinatione posita videre est, nusquam tamen ultra *quadruplicem* aciem legimus factam. Hujus mentio duobus aut tribus locis apud Cæsarem extat. Cum triplicem aciem in Pompejum pugnaturus instituisset, quartam addidit detractis sex cohortibus ex tertia & postrema acie. Scipio narratur in libro de bello Africano *quadruplicem* aciem contra Cæsarem instruxisse. Sed prima ex illis quatuor fuit quam ex equestribus turmis composuerat, turritis interpositis elephantis. At novum illud & peculiare Scipioni fuisse ibidem traditur, aciem ex equitibus separatim formare. Ita enim scribit auctor illius commentarii: *Scipio eductis omnibus copiis quadruplici acie instructa, ex instituto suo prima equestri turmatim directæ, elephantisque turritis interpositis*. Hoc fecit, quia numerosum equitatum habebat. Hac eadem ratione motus Labienus contra eundem Cæsarem in Africa dimicaturus non peditum aciem, sed equitum instruxit: *Hostes interim, quorum dux Labienus erat, & duo Pacidii, aciem dirigunt mirabili longitudine, non peditum sed equitum confertam*

fertam, & inter eos levis armatura Numidas, & sagittarios interposuerant, & ita condensaverant, ut procul Cæsariani pedestres copias arbitrarentur. Postremis imperii Romani, cujus sedes fuit Constantinopolis, temporibus, non aliæ acies quam ex equitatu instruebantur, tota militia illius ævi à peditibus ad equites transducta. Cum enim disciplina militaris intercidisset, & legionarius miles plane cum ea excidisset, pedestri militia deserta, solamequestrem excoluerunt. Sed de hac rei militaris postrema mutatione hic agere non decrevi. Ex instituto igitur suo, non communi, aciem instruxit quadruplicem Scipio, cum primam ex equestribus turmis composuit. Similiter & de Pharnace notavit, more suo & instituto aciem direxisse cum trinis subsidiis tam cornu utrumque quam mediam aciem firmavit, hoc est in totum novenis. Abundabat nimirum multitudine copiarum, ex quibus tot numero subsidia sufficere potuit. Domitius qui contra eum stetit, triplici acie instructa, hoc est, duobus cornibus & media acie, quod supererat cohortium in subsidiis collocavit. Sed una Afraniana acies satis ostendit, subsidiarias manus, si ab auxiliis essent aciei subditæ, nihil contulisse ad numerum acierum multiplicandum. Eam aciem explicare conati sunt viri docti, sed irrito conatu operam perdiderunt. Primum ex corruptissimis quibus ea enarratur Cæsaris verbis nihil sani aut sinceri elicere quiti sunt. Ea nos ex veteribus libris & ratione ipsa, ut emendari debent proponemus:

Acies erat Afraniana duplex, legionum v. Tertia in subsidiis locum alaria cohortes obtinebant. Cæsaris triplex, sed primam aciem quaterna cohortes ex v. legione tenebant. Has subsidiaria terna, & rursus alia totidem suæ cujusque legionis subsequebantur. Insignis & illustris hic locus ad fidem faciendam, non fuisse tunc aciei nomen inditum subsidiariis copiis, si de auxiliis instruerentur. Ecce Cæsari Afraniana acies duplex traditur, quæ tamen triplex fuit, si tertia acies quæ ex cohortibus alariis addita erat, in hunc numerum venisset. Quinque legiones habuit Afranius cum Petreio. Ex his quinque legionibus duplicem instruxerunt aciem, duobus nempe cornibus dextro levoq; constantem, sine ulla media acie. Tunc enim duplex erat, ut ante demonstratum est, cum in duo cornua tantum divideretur, spatio inter se distantia. In subsidiis alarias, id est, auxiliares cohortes substituerant, quæ tertiæ aciei locum obtinebant,

nebant, non revera tertiam aciem constituebant. Tunc enim non duplex, sed triplex acies Afraniana extitisset. Hanc aciem Afranianam contra, eamque duplicem, stetit Cæsariana triplex. Hæ tres acies, ut diserte ibi scribit ipse Cæsar, subsidiariæ sibi invicem erant, & suppositiciæ: cum altera alteram subsequeretur. Primam aciem, & in fronte positam, quaternæ cohortes ex quinta legione tenebant. *Has subsidiariæ, inquit, ternæ, & rursus alia totidem suæ cujusque legionis subsequebantur.* Ternæ cohortes ex eadem legione quinta, subsidiariæ, id est, post primam aciem à tergo positæ, secundam aciem faciebant, eamque mediam & primæ subsidiariam. Hanc secundam tertia similiter pone subsequebatur, ex ternis reliquis ejusdem quintæ legionis cohortibus composita. Vides acies proprie nominari, quæ subsidiarias manus ordinatas habuerunt atque ex legionariis instructas, in hunc numerum ac nomen censumque non venire quæ ex auxiliariis instituuntur. Quod & Cæsar idem confirmat, ubi Crassi legati sui aciem duplicem tantum facit, qui mediam tamen etiam ex auxiliis instruxerat, sed ista quia ab auxiliariis erat, non numerata, duas modo quas ex legionariis constituerat, hoc nomine donavit: *Crassus prima luce productis copiis omnibus, duplici acie instituta, auxiliis in mediam aciem coniectis, quid hostes consilii caperent, expectabat.* Quod diximus de subsidiis etiam dilucide liquet ex alia Cæsariana triplici acie, quæ contra Afranianam constitit, nempe cum ita ordinantur acies, ut altera alteram sequatur *Ἀπὸ μίαν ἐνθάδε* ut Græci Tactici loquuntur, tum sequentes omnes primæ subsidiarias intelligi. Atque ita necesse est. Cum enim sic locatæ, simul & eodem tempore dimicare nequeant, eo ordine, quo dispositæ sunt, pugnant, altera post alteram. Ita omnes sibi invicem ἐφεσπύοντο, & subsidiariæ sunt. Sic verum probatur, quod supra adstruximus, cum per *Hastatos, Principes, & Triarios* ita dirigebantur acies, ut *Principes* post *Hastatos*, collocarentur, post *Principes Triarii*, subsidiarios fuisset *Principes Hastatorum*, & *Principum Triarios*, immo & *Hastatos* ipsorum velutum qui primi pugnæ initium faciebant. Apud Cæsarem exempla scio extare hujusmodi positionis in qua acies aciem subsequitur, subsidiorum modo & apud Sallustium in acie Catilinæ. Quocumque autem genere triplex acies instrueretur, vel transversa positione, vel obliqua, vel recta, semper

per media acies secundæ locum nomenque obtinebat. Sin autem duobus cornibus fronte æquali constitutis, media acies retracta quasi subsidio post duas præcedentes poneretur, tum media illa acies pro tercia habebatur, duo cornua pro prima & secunda. Quod alibi pluribus confirmabimus. *Subsidiaria acies* meminit nominatim Hirtius de ea quæ ex Numidis erat composita, commentario de bello Africano: *Scipio hoc modo aciem direxit. Collocabat in fronte suas & Iuba legiones. Postea autem Numidas in subsidiaria acie ita extenuatos & in longitudinem directos, ut & procul simplex esse acies à legionariis militibus videretur: in cornibus autem duplex esse existimabatur.* Hoc videtur facere contra eam observationem, quam hic adstruximus subsidiis ex auxiliariis comparatis aciei nomen in exercitu Romano dari non solitū. Sed Numidæ in ea acie inter auxiliares non censebantur. Juba Rex erat in partibus. Legiones habebat ut & Dux Romanus, qui Jubæ legiones & suas in fronte collocaverat. Hæc erat prima acies. Huic secundam subjunxerant ex Numidis ejusdem Regis Jubæ, qui cum Scipione ex æquo bellum administrabat, & pro pari se gerebat. Eam aciem subsidiariam adeo fuisse extenuatam dicit Hirtius, ut acies media, hoc est prima in fronte inter duo cornua posita, simplex videretur. Subdita illi acies subsidiaria debuit facere, ut duplex ea parte videretur. Ita enim duplex & triplex & quadruplex acies habetur ac dicitur, cum primæ subjicitur secunda, secundam subsequitur tertia, & tertiam quarta. At acies illa Numidarum subsidiaria præcedenti primæ supposita adeo fuit tenuis, id est, paucis ordinibus structa, ut non videretur altera acies, quæ priori subjecta duplicem eam constitueret. In cornibus autem duplex esse existimabatur, quia primum elephantos dextro sinistroque cornu collocarat, deinde post elephantos armaturas leves, Numidasque auxiliares substituerat. Sic duplicia cornua videbantur cum acie Numidarum subsidiaria, quæ in longitudinem porrecta ad utrumque cornu & mediam simul aciem à tergo extendebatur. Vides auxiliares Numidas, qui in exercitu Scipionis inter auxilia ejus militabant, distingui à Numidis Jubæ ex quibus subsidiaria illa acies erat composita. Sic manet immotum, quod adstruximus, subsidia quæ ab auxiliis erant, nomen aciei non tulisse: quæ ab legionariis, numerum inter acies fecisse, & locum ha-

habuisse. Subsidiorum porro Antiquæ & Novæ militiæ differentia hæc summa fuit. Quod in antiqua militia legitimæ & solennes fuere subsidiariæ acies, neq̃ aliter instructi exercitus ordinatio procedebat, nisi per subsidiarias acies. In nova militia acies instruebantur interdum cum subsidiis, interdum sine his. Hæc subsidia eodem modo instruebantur, ut justæ ac legitimæ acies, quinimo acies etiam nominabantur, & numerum etiam acierum augebant, si ex civibus ac legionariis Romanis institutæ essent. Præterea hoc etiam differebant apud priscam & recentem ordinationem subsidiariæ acies, quod olim cedentibus prioris aciei militibus locum dabat recipiendi se sequens subsidiaria acies per intervalla quibus tum ordines inter se distabant. Posteriorum temporum subsidia fessis & laborantibus submittebantur, ut aut à tergo, aut à lateribus hostes vincendo occupatos adorirentur inopinantes. Procedente etiam tempore aliter comparata est ratio subsidiorum. *Lectissimos de peditibus & equitibus cum vicariis comitibus, ac tribunis habebat dux post aciem præparatos, alios circa cornua, alios circa medium, ac sicubi hostis vehementius insisteret, nerumperetur acies, provolarent subito, ac supplerent loca, additaque virtute inimicorum audaciam frangerent.* Hæc verba sunt Vegetii è lib. III. c. XVII. qui adjicit, *optimam hanc esse rationem, & plurimum ad victoriam conferre.* Paria his plane sunt, quæ leguntur in Græco Strategico Onosandri, qui liber est de arte imperatoria. Εἰχέτω δὲ πρ, inquit, καὶ στρατιώτας λοχαγὰς ἰδίᾳ πεταγμένους ὀπὸ τῆ Φάλαγγος, ὡς περ ἐφείδους ἔκ πολέμου πρὸς τὰ κατὰ πονέμενα μέρη τῆ διωάμεως, ἵνα ἐξ ἐπιμέας τὰς ὀπικυρήσοντας ἐπάγῃ. *Habeat & lectos milites dux, seorsim ab acie sua constitutos, tanquam ad subsidium locatos, ut ad manum sint, quos inducere possit subventuros parti exercitus laboranti, & fatigata.* Λοχαγὰς vocat Onosander στρατιώτας, qui lectissimi de peditibus & equitibus Vegetio. Et apparet hæc à Frontino hausisse, ut alia fere omnia, quemadmodum & ipse profitetur. Qui Frontinus Græcæ pariter Romanæque rei militaris scientissimus, de utraque scripserat. Hæc ratio parandorum subsidiorum de lectis militibus paulo diversa fuit ab ea quam Romani frequentabant. Non enim lectos milites toto exercitu ad hanc rem habebant, sed aut legiones integras ad subsidiariam aciem instituendam adhibebant, si de legionariis eam comparare vellent, aut etiam cohortes

res aliquot è legione detractas in hoc seponebant. Sin de auxiliis sumere mallerent quod ad subsidium servarent, integras aliquot cohortes alarias eligeant. Onosandri de arte imperatoria liber Græcis scriptus est non Romanis. Nam Græcanicæ *πικῆς* præcepta continet, non Romanæ, ut alibi ostendam. Hoc porro de subsidiis præceptum, Græcum potius morem respicere videtur, quam Romanum. Nam *Φάλαγγα* nominat, quæ Græcorum tota est, *ἔχεται λογάδας ὁλοῦτες ἀπὸ τῆς Φάλαγγος ἰδία πεταγμένους*. *Habeat lectos milites seorsim à phalange ordinatos*. Græci tamen, ut ante docui, non solebant in prælio subsidiis ejusmodi uti. Nec enim eorum *ἑφεδρῶν* in bello & in acie meminerunt Ælianus & Arrianus. Videtur ergo Onosander, qui sub Romanis vixit, ætate, ut sentio, Neronis, qui etiam opus suum homini Romano Quinto Veranio dedicavit, quem Veranium eum esse suspicor cum doctis viris, qui Didio Gallo in rebus Britannicis successit. Videtur, inquam, is Onosander, hanc subsidiorum rationem, quam Romani in bellis suis crebro usurparunt, optimam judicasse, ut revera est, & adjunxisse rei militari Græcorum, eo scilicet quo potuit modo. Cum enim phalange pugnarent Græci quod erat corpus unum & continuum ex gravi armatura compositum, nec plus quam phalangem singularem in bellum ducerent, si subsidiariam aliquam manum seponere vellent, lecti milites ex illa phalange detrahendi fuere, quos ad hunc usum seorsim à phalange instructos & paratos habere possent. Onosandrum ea parte vertit Frontinus, Frontinum exscripsit Vegetius qui addit statim: *Hoc primos Lacones invenisse, imitatos esse Carthagenenses, Romanosque postea ubique servasse*. Sane hoc etiam Romani imitati sunt ac servarunt, sed non semper, nec eodem modo. Laconum inventum fuisse dicit. Profecto nec alii Græci, nec Macedones eo usi reperiuntur. Nec inter *Tactica* Græcorum vocabula *ἑφεδρῶν* aut *ἑφεδρεία*, conspicitur. Romani ipsi postremo uti desierunt, aut rarius usi sunt, sed in locum subsidiorum machinas substituerunt. Arrianus in eo libello, quo docet, quomodo acies instruenda sit adversus Alanos, nihil subsidiorum ponit. Post duas legiones Romanas in acie instructas, pone utrumque cornu machinas collocandas præcipit, *μηχαναὶ δὲ*, inquit, *ἑφεστηκέντων τῶν χεράν ἐκατέρω, ὡς πῶρότερον προσόντων πολεμίων ἐξακοντίζον, καὶ ἀπὸ τῆς*

τῆς πάσης φάλαγγος. Carris impositæ supra aciem instructam è longinquo in hostes etiam procul diffitos ejaculabantur tela, aut ingentia saxa. Non tamen pro subsidiis eæ substitutæ machinæ videntur, sed eundem usum habebant, quem nunc habent Bombardæ nostræ, quæ tamen non semper post aciem ponuntur, sed & ante. Et ratio in promptu est, cur diversa sit hodiernarum machinarum, & antiquarum in acie collocatio, de qua nos in magno opere. Sunt quibus placeat, elephantos olim eundem usum præbuisse in bellis, & eundem locum tenuisse in acie, quem nunc obtinent vulgares Bombardæ. Certe & ante aciem collocabantur, ad proturbandos & perrumpendos hostilis exercitus ordines. Quod præstant igniariæ illæ machinæ, quarum nunc usus est. Sed his discutiendis & exacte putandis alius & suus dabitur locus. Machinæ illæ veterum, ballistæ, onagri, scorpiones, & alia, de quibus nos alibi. In unaquaque legione quinquaginta quinque carrobballistæ esse solebant, & decem onagri per singulas cohortes singuli. *Non solum autem castra defendunt*, inquit Vegetius, lib. II. cap. ultimo, *verum etiam in campo post aciem gravis armatura ponuntur, ad quarum impetum, nec equites loricati, nec pedites scutati possunt obstare.* Quæ sine dubio habet à Frontino. Arrianus qui eadem ætate vixit, similiter post aciem gravis armaturæ collocandas docet machinas bellicas, quarum tanta vis fuit, ut more fulminis quidquid percusserant dissolverent, aut perrumperent. De quibus nos alibi. Hoc etiam porro discrimine distabat vetus res militaris à nova, quod ejusmodi machinæ incognitæ essent veteribus, quas recens ad disturbandam hostium aciem in ipso conflictu usurpavit. Insignis his tormentis locus apud Tacitum lib. III. Historiarum de Vitellianorum acie contra Galbæ exercitum directæ, quæ per hujusmodi machinam magnam hostium stragem edebat in ipsa pugna: *Namque Vitelliani tormenta in aggerem via contulerant, ut tela vacuo atque aperto excuterentur, dispersa primo, & arbusis sine hostium noxa illisa. Magnitudine eximia quinta decima legionis ballista ingentibus saxis hostilem aciem proruebat, lateque cladem intulisset, ni duo milites praeclarum facinus ausi, arreptis è strage scutis, ignorati, vincula atque libramenta tormentorum abscidissent.* Ubi vides ballistam legionis dici, ut inde colligas unicuique legioni sua fuisse attributa tormenta. Rara certe aut nulla subsidia co-

tem-

tempore post acies primas locari solita. Nec ulla eorum mentio in descriptionibus præliorum, quæ apud Historicos illius ævi habentur. Equites ad cornua disponuntur, acies peditum in medio, pone eos levis armatura, & machinæ, ut apud Arrianum. Sed & apud Julianum de gestis Constantii levis armatura in ultimo ponitur, nullis aliis subsidiis. Cæsaris tamen ætate leves ante primam aciem dimicabant. Sed & è novissimo agmine sæpius ante primam aciem emicabant, hostis laceffendi, & si occasio daretur, etiam debellandi gratia. Cui generi ordinationis optime, ut ante diximus, convenit divisio aciei in *antesignanos* & *postsignanos*, si levem armaturam velis primæ aciei frontem constituisse, & scutatos pro subsidiariis habuisse, ut alicubi dicit Polybius, & aliquot locis ait quoque Livius, primam aciem ex jaculatoribus & leviter armatis constituisse. Ita olim fuisse ostendit mos ordinandi apud recentiores Græcos *τακτικὸς*, qui totum exercitum ad pugnam instructum, in duas acies dividunt, *εἰς προμάχους* & *βοηθούς*, id est, in *antesignanos* & *postsignanos*, in levem armaturam, quæ ante signa pugnabat, & gravem, quæ sub signis incedens & post signa subsidium præstabat levi armaturæ. Leo in *Tacticis*, cap. xviii. Ἡ μέντοι σωήτης Ῥωμαίοις τάξις καὶ γυμνασία αὐτὴ πρὸς πᾶν ἔθνος ὁπλητὴν δὲ αὐτῶν φαίνεται, τέστιν ὅταν εἰς δύο τάξεις εἰς προμάχους καὶ βοηθούς τάσῃ, εἰς προκέρσωρες ἢ δεφένσωρες. Mauricius ἱταλικῶς eam γυμνασίαν appellat. Isti *præcursores* olim fuere velites sive *antesignani*, quod ante signa procurrerent. *Defensores* autem graves pedites, quos velut subsidiarios fuisse velitum tradit Polybius; id est, *βοηθούς*. Glossæ veteres, *Subsidium*, *βοήθεια*. De equestri quidem exercitu & exercitio Mauricius & Leo illud scribunt, quod vulgo Romana acies divideretur *εἰς προμάχους ἢ βοηθούς*, sive in *præcursores* ac *defensores*, sed eo tempore conversâ militiam equestrem erat, & ad exemplum pedestris plane constituta. Ex pedestri igitur antiqua illa divisio manavit. Nam in equestri nihil tale noverat Cæsariana militia, sed nec Polybiana. At in pedestri militia illo ævo, quæ raro usurpabatur, pro antiquis subsidiis habebant *ὑποφύλακας*. Eos post aciem primam collocabant, Latine, *sergi custodes*, quos ut plurimum in binis *πλινθίοις* disponebant in omnem partem conversis. Ita & suos *παραυφύλακας* habuerunt, quos lateribus aciei adplicabant ad ea protegenda, ut *ὑποφύλακες* *tergum* custodie-

bant. De quibus nos infra, ubi militiam eorum temporum comparabimus cum vetustiore.

C A P. XIV.

De levi armatura ac velitibus, & quantum in eorum appellatione vetus ordinatio differat à nova. De accensis ac rorariis.

DE subsidiiis fatis dictum. Nunc de levi armatura dicendum, & quem locum in legione & in acie olim & post habuerit. Quomodo vocata sit apud veteres Romanos in Republica libera viventes, & sub Cæsaribus vitam trahentes: quis ejus usus utroque tempore fuerit, & qua in parte locari solita. Nam in his omnibus non parum etiam diversa fuit militia vetus à nova. *Rorarii* primo & *Accensi* dicebantur, & primis ferme atque antiquissimis temporibus his nominibus appellatam levem armaturam habuerunt legiones & acies Romanæ. Alii *Rorarii* fuere ab *accensis*, & notandum est, quid discriminis inter eos fuerit, cum utrique leves essent, & ex eorum genere; quos Græci *ψαλῆς* appellant. *Rorarios* honestiorem gradum habuisse, quam *Accensos*, significat Livius lib. viii. cum prius nominet *Rorarios*, deinde *Accensos*. Nam in postrema acie cum post *Triarios* utramque hoc genus locari solitum scripserit, & primum vexillum novissimæ aciei *Triarii* dederit, statim addit, *secundum vexillum*, nempe ducebat, *Rorarios minoris roboris atate factisque. Tertium Accensos minima fiducia manum, eo & in postremam aciem rejiciebantur*. Ergo *Accensi* minus digni & honesti gradus quam *Rorarii*. In ipsa pugna *Rorarios* meminit, qui inter *Antepilanos*, id est, inter *Hastatos* & *Principes* procurrebant, addebantque iis vires, non item *Accensorum*. Quinam igitur isti *Accensi*, & quod eorum in exercitu munus, vel ministerium? Varro lib. vi. de L. L. ubi *Rorarios* simul & *Accensos* in versu Plautino qui fuerint explicat, ex Catone ostendit, *Accensos* ministratores esse. *Accensos*, inquit, *ministratores Cato esse scribit. Potest id ab arbitrio, nam inde ad arbitrium ejus cujus minister. Rorarios autem dictos à rore ait, qui bellum committebant ante, ideo quod ante rorat, quam pluit*. Ex quibus liquet *Rorarios* pugnasse in acie Romana ante reliqua signa pro-

procurrendo in hostes, non *Accensos*, qui ministri erant tribunorum, si forte, & centurionum, immo etiam consulum vel prætorum, ut idem Varro scribit apud Nonium libro xx. *Rerum Humanarum*: *Vt consules ac prætores qui sequuntur in castra, Accensi dicti, quod ad necessarias res sapius acciantur, velut ascerfisi.* Nonius addit eos esse quos sua ætate *Deputatos* vocabant. Et sane *Deputati* apud Mauricium ac Leonem in *Tacticis* memorantur in legionis numero ac censu inter illos, quos Græci *ἐκπύλους* nominant, qui extra ordinem sunt, signiferi, buccinatores, medici, mandatores. *Deputati* autem in isto erant numero, munerisque id habebant, ut saucios ex acie reportandos curarent. Non ergo iidem cum *Accensis* veterum ut vult Nonius. Sed neque *accensi* Liviani, qui una cum *Rorariis* nominantur in acie Romana, & manum separatam constituiebant sub vexillo proprio incedentem, iidem fuisse videntur cum illis *Accensis*, quos Cato, & ex eo Varro ministratores consulum & prætorum appellat. De his *Accensis* Asconius ita scribit commentationibus in Ciceronem: *Accensus nomen est ordinis & promotionis in militia, ut nunc dicitur princeps, vel commentariensis, aut cornicularius. Hac enim nomina de militia legionaria sumpta sunt.* Ciceronis locus ad quem hæc notavit, habetur in lib. i. in Verrem his verbis: *Homo autem ordinis sui frugalissimus qui tunc Accensus C. Neroni fuit, P. Tettius, hac eadem se Lampfaci cognosse dixerit.* Hi *Accensi* ex eo genere & ordine sunt, quos Varro scribit, loco supra citato, consules & prætores in castra sequi solitos, ut res iis necessarias administrarent. Nec solum consules & prætores huiusmodi habuere ministros, dictos *Accensos*, sed etiam decuriones & centuriones, ut ex eodem Varrone liquet, alio loco, qui apud Nonium legitur in hæc verba: *Quid de adscriptivis quum erant attributi decurionibus & centurionibus, quorum habent numerum, accensi vocabantur.* In veteribus inscriptionibus mentio etiam extat, *Accensi consuli.* Non dicitur *consulis accensus*, sed *accensus consuli.* Ut apud Ciceronem *accensus Neroni.* Etiam monumenta post Augustum vetera horum accensorum habent mentionem. Et ille ipse qui in veteri inscriptione fuisse dicitur *Accensus consuli*, etiam *Augustalis* appellatur. Cerrum quippe est sæpius in veteribus memoriis *Accensorum* & *Accensorum velatorum* nomen reperiri, qui longe diversi exitere ab illis accensis.

lis militaribus, quos cum *Rorariis* in acie collocat Livius. At Ciceronis ætate, immo & Varronis, atque etiam Catonis, exercitus Romanus nullos tales habuit *accensos*, qui inter levis armaturæ pedites censerentur. Quinimo & ipsorum nomen *Rorariorum*, qui in militia jungebantur cum *Accensis*, plane exoleverat, & soli *velites* pro levi armatura tunc nominabantur. At Plauti versus, quem Varro interpretatur, *Rorariorum* etiam cum *accensis* junctim meminit, & simul testatur eorum operam in acie ad pugnam desideratam. Sic enim scripserat in *Frivolaria*: *Vbi Rorarii estis? En sunt. Vbi sunt Accensi? Ecce.* Miles aliquis Thrafonides in ea fabula levem suam armaturam requirebat, ut ad prælium eam instrueret, ut facit Thraso in Eunucho Terentiana:

Tu Simalio in sinistrum cornu, tu Syrisce in dexterum.

Cedo alios. Vbi centurio est Sanga, & manipulus furum?

S. Eccum adest.

Varro autem dum illum versum interpretatur, perperam ex suæ ætatis usu & more de ministratoribus Consulum ac Tribunorum accipit. Ministri illi consulum, prætorum, tribunorum, decurionum, & centurionum nec pugnabant in acie, nec sub vexillo ordinabantur, ut de *accensis*, quos cum *Rorariis* junxit, Livius narrat. Horum manus in exercitu fuit peculiaris, ut ex eo Livii loco apparet, & ex Plauto, quæ proprium signum sequebatur. Puto veram esse sententiam Verrii sive Festi tradentis eos sic fuisse appellatos, quod supplendis legionibus adscribebantur, unde & *adscripticii* etiam dicebantur. *Adscripticii*, inquit, *velut quidam adscripti dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebantur. Hos & Accensos dicebant, quod ad legionum censum essent adscripti. Quidam Velatos, quod veluti inermes sequerentur exercitum.* Idem in voce velatus: *Velati appellabantur vestiti & inermes, qui exercitum sequebantur, quique in mortuorum militum locum substituebantur. Ipsi sunt & ferentarii, qui fundis & lapidibus pugnabant, quæ tela feruntur, non tenentur.* Etiam in voce *Adscripticii*, idem notavit, hos *Accensos*, à nonnullis dictos *Ferentarios*, quod fundis lapidibusque præliaturi ea modo ferrent, quæ in hostes jacerent. Ideo autem minoris in militia meriti ac dignitatis censebantur, quam *Rorarii*, quia lapidibus tantum & fundis præliarentur, cum *Rorarii* hastis & jaculis pugnarent. Unde apud Ennium, *Spargit rorarius hastas.*

hastas. Cum autem verum sit, certum numerum inermium militum sequi olim castra solitos, & legionibus adscribi vel accenseri, ut in demortuorum militum locum subrogarentur & supplerent defectum legionum, pro certo etiam sciri debet, hos ab ea re nomen *adscripticiorum* vel *adscriptivorum*, item *accensorum* nomen hæsisse, quod legioni adscriberentur & accenserentur. De his etiam Plautus in *Menæchmis*:

— *Extra numerum es mihi,*

Idem istuc aliis adscriptivis ad legionem fieri solet.

Eorum igitur *adscripticiorum* & legionis *accensorum*, qui tamen extra numerum erant, institutio hoc spectabat, ut essent, qui supplere & integrare numerum legionis possent, si quos in prælio cadere contingeret. Ideo castra sequebantur, & singulis legionibus certus eorum numerus adscriptus erat. Ne autem prorsus inutiles essent, fundæ iis attributæ, quibus ante primam aciem, cum reliqua levi armatura, quæ *Rorariorum* nomen tunc habuit, lapidibus hostes irritarent ac lacefferent. Ipsi autem *Rorarii* jaculis & hastis id agebant. Hi *accensi* sive *adscriptivi* suum vexillum habebant, ut & *Rorarii*, & cum acies ad pugnam instruebantur, in novissimo agmine post omnes acies locabantur, ut ex Livio constat. Potuit quidem fieri, ut ex his *adscriptivis* aliqui deputarentur ad ministerium ducum, tribunorum, decurionum, ac centurionum. Quod diserte Varro testatur apud Nonium his verbis, in libris de vita populi Romani: *Qui de adscriptivis quum erant attributi decurionibus ac centurionibus qui eorum habent numerum, accensi vocabantur.* Quæ verba Varronis hoc significare videntur, *adscriptivos* dictos in genere omnes, qui sic militarent, ut legionibus supplendis destinarentur, si qui autem ex his attribuerentur decurionibus & centurionibus, *accensos* proprie appellatos esse, quod his accenserentur, id est attribuerentur. Sed huic Varronianæ distinctioni ac notationi obstat, quod apud Livium legitur, *accensorum* nomen, qui sub vexillo proprio in acie ordinabantur una cum *Rorariis*, atque hostem invadebant ante signa peditem fundis ac lapidibus eum incessentes, ut *Rorarii* jaculis. Et sane æque *accensi* dici potuerunt, quod legioni accenserentur, ut in demortuum locum militum succederent, quam quod attribuerentur decurionibus ac centurionibus, ipsique adeo prætoribus &

& consulibus. Dicebantur etiam *Velati* quod vestiti tantum, non etiam armati essent, id est, loriceis muniti, & galeis recti, ut Verrius docet & ex eo Festus: *Velati appellabantur vestiti & inermes, qui exercitum sequebantur, quique in mortuorum militum locum substituebantur.* Eadem ratione & *velites* appellati, ut infra dicemus, sed non propterea *velitum* nomen pro *velatorum* ibi substituendum. In voce *adscripticii*, etiam *velatos* à nonnullis nuncupatos eos adscriptitios notat, atque etiam *Accensos*, quod ad censum legionis adscripti essent. Quod Varronis sententiæ refragatur, qui solos eos ex adscriptitiorum numero *accensos* voluit appellatos, qui centurionibus ac decurionibus attribuerentur. Cum igitur & *accensi* dicerentur, quod ad censum legionis essent adscripti, & *velati* quod inermes ac vestibus tantum tecti sequerentur exercitum utroque juncto vocabulo vocati sunt *Accensi velati*. Eorum frequens mentio occurrit in veteribus inscriptionibus, nec additur, cui accensi fuerint, ut appareat eo tempore nomen fuisse ordinis ac dignitatis. Sæpe etiam jungitur cum ædilis dignitate & duumviri, ut idem qui *accensus* fuerat *velatus*, postea duumvir promoveretur in municipio. Hoc ordine quidam in veteri inscriptione eas dignitates percucurrit, ut primo *scriba adilitius* fuerit, postea *accensus velatus*, deinde *duumvir quinquennalis* & *curator aquarum*, & postremo *Patronus colonie*. In alia quidam Veserius Jucondianus primo *præfectus fabrum*, deinde *accensus velatus*, post *procurator alimentorum via flamine*, mox *Duumvir designatus*. In aliis simpliciter *Accensi* nominantur. Videntur publici ministri fuisse magistratuum cum aliquo honore & majoribus emolumentis. In optimis Glossis *Accensus*, sic enim scribendum, exponitur, εἰσιγωγὸς, εἰσηγητής, βέλαρχος. In his εἰσιγωγὸς & introductor, vel admissionalis, ac admissionum magister, qui introducit ad magistratum adire cum volentes, idemque εἰσηγητής. Jure Attico εἰσιγωγανὺς nomen dignitatis sortito indipiscendæ de his qui πᾶς δίκας εἰσήγαγον πρὸς πᾶς ἀδικητήν. Quod βέλαρχον etiam accensum interpretantur optimæ illæ Glossæ, is magister curiæ est, ut non mirum sit si cum duumvirali dignitate jungatur *accensus* in veteribus inscriptionibus, ut videantur ex accensis duumviri promoveri soliti. Ut sit nomen hoc traductum constat à militia legionaria antiqua cum ex ad-

scripti-

scripticiis vel *accensis* legionis legerentur, qui ministratores essent consulum ac prætorum. Asconius in Verrem: *Accensus nomen est ordinis & promotionis in militia, ut nunc dicitur Princeps, vel Commentariensis, aut Cornicularius. Hac enim nomina de legionaria militia sumpta sunt.* Ætate Asconii Pædiani nulli amplius fuere in exercitu legionis *adscriptivi* vel *accensi*, ut nulli *Principes*, sicut olim vocabantur in antiqua militia *Principum* deni manipuli, qui à totidem centurionibus regebantur, quorum primus dicebatur *primus Princeps*, atque ita reliqui in ordine usque ad *decimum Principem*, qui erat decimi manipuli *Principum* centurio. Ergo ille *Princeps* cujus meminit ibi Asconius, non ad militiam togatam traductus est ex antiqua liberæ reipublicæ legione, quæ in *Hastatos, Principes & Triarios* dividebatur, sed ex nova illius temporis quæ *Principem* habuit, nempe in prima cohorte unum ex senis primorum ordinum ductoribus, qui post *Primipilum* secundus erat, isque in veteri militia primus centurio habebatur *Principum* legionis. Sic *accensus* consuli vel prætori ea ætate dicebatur cum tamen nulli amplius essent in legione *accensi* milites vel *adscriptitii*. Inde nihilominus origo *accensorum* sumpta est, qui consulibus ac prætoribus ministrabant, quia olim ex *adscripticiis & accensis* legionis sumi solebant, qui id muneris haberent. Ubi igitur desierunt *adscriptitii* haberi & *accensi* in legione qui partem levis armaturæ facerent, atque in mortuorum militum locum substituerentur, & ex quibus etiam sumerentur ducum ministri & centurionum decurionumque, nomen ipsum remansit & munus eorum *accensorum*, qui arbitrio magistratuum acciebantur ut eis ministrarent, cum olim in legionaria militia hoc nomen solum audiretur. Sic & *Cornicularii & Principes* à militia legionaria ad togatam translati, de quibus nos alibi. Duplicis igitur generis & appellationis fuit in antiqua legione levis armatura, *Rorarii & Accensi*. Illi hastis & jaculis pugnam committebant, isti fundis ac lapidibus ad hoc præcipue legioni adscripti, extra censum tamen ac numerum ejus, ut essent qui substituerentur in locum mortuum militum, & ad supplementum legionis. *Rorarios milites*, inquit Festus, *vocabant qui levi armatura primi prælium committebant, quod ut ante imbrem fere rorare solet, sic illi ante gravem armaturam quod prodibant, Rorarii dicti.* Idem etiam faciebant *Accensi*, qui & peculiare vexillum habebant. Sed hi,

ut dixi, fundis tantum præliabantur, non jaculis, Dicebantur & *ferentarii*, quod ea modo ferrent quæ in hostes jacerent, vel quod depugnabant fundis & lapidibus, his armis quæ ferrentur non tenerentur. Ita scribendum in loco Varronis apud Nonium, non depugnabant pugnīs, ut vulgo legitur. Quod est ineptum. Varro tamen genus equitum fuisse illos *ferentarios* tradit, lib. vi. de L. L. *Ferentarii*, inquit, *equites hi dicti, qui ea modo habebant arma, quæ ferrentur, ut jaculum*. Non loricas habebant, non galeas, non parmas, sed ea tantum arma quæ ferrentur. Ut equites fuere *ferentarii* quos & ἀκροβολιστὰς ἰππεῖς vocant Tactici, & leviter armati, qui differabant ab equitibus gravius armatis, qui ea omnia arma habebant quibus corpus tegitur ac defenditur, non sola quæ feruntur, ita & pedites. Certe & *ferentarios* Sallustius in Historia dixit de levi armatura peditum, non quod ulli *ferentarii* ejus ætate in militia noti essent, sed quia veterum verborum affectator hos etiam inter alia à Catone furatus est *ferentarios*. Si nominis *ferentariorum* hæc ratio est, certe non tantum funditores, ut erant *accensi*, in acie Romana sic appellati sunt, sed etiam ita appellari potuerunt & *Rorarii*, qui jaculis depugnabant, quia ea arma feruntur. Et ridiculum est, quod alio loco Varro dixit, sic eos esse appellatos, quod his armis pugnarent, *quæ ferrentur, non quæ tenerentur*. Quasi quæ feruntur non etiam teneantur. Certe lapides, sive manu jactentur, sive funda, feruntur simul & tenentur. Non enim jaci possunt nisi teneantur. Jaculum porro & manu tenetur & fertur. Nam quod tenetur manu, etiam fertur. Tam *ferentarii* igitur pedites fuere quam equites. In veterrima itaque militia hæ tres appellationes levis armaturæ fuere, *Rorarii*, & *Accensi*, & *ferentarii*. Sed hæc appellatio *ferentariorum* generalior, ut Græcorum ψιλῶν, quia comprehendit omnes qui iis armis tantum erant instructi quæ feruntur ac tenentur, ut sunt jacula, sagittæ, & fundæ. Sciendum est porro tam *Rorarios*, quam *accensos* extra ordinem, numerum ac censum legionis Romanæ fuisse, cum præter hos haberet aliam levem armaturam legio suæ matriculæ insertam. Quod ex Livio manifeste liquet lib. viii. ubi singulis *Hastatorum* manipulis *leves* videnos fuisse adjunctos perhibet. *Manipulus*, inquit, *leves videnos milites, etiam turbam scutatorum habebat. Leves autem qui hastam tantum gasaque gererent,*

voca-

vocabantur. Hæc levis igitur armatura legionis fuit, cum *Rorarii & Accensi* extra numerum legionis haberentur, in locum deficientium substituendi. In locum istorum *levium* succedere qui postea *velites* dicti sunt, de quibus in sequentibus dicendum.

C A P. XV.

Iterum de levi armatura differitur, & de eorum levium pedum differentia, qui in legionis censu erant, & qui extra ejus numerum. Item de Accensis.

VT paulo altius rem repetam, priusquam descendam ad mutationem quæ sequentibus temporibus in levi armatura contigit tam re quam nomine, sciri præ omnibus debet, semper leves pedites in exercitu Romano fuisse, ut & in Græco. Sed illud refert in primis cognosci, utrum à principio inserti legioni fuerint, an extra censum legionis ac numerum positi. Et certum est, duorum generum aliquando *leves* fuisse, qui in censu legionis numerarentur, & qui extra ejus numerum essent. Legionem Romuli instituto trium millium fuisse factam, inter omnes convenit. Unde & Varro *militum* nomen deducit lib. iv. de L. L. *quod trium milium primo legio fiebat, ac singula tribus Tatiensium Ramnium, Lucerum, milia singula militum mittebant.* Sed hoc veriloquium ineptum est ac falsum, ac pro cætero originationum eruendarum more, qui Varroni insedit. In his tribus milibus militum, quibus Romulea legio constabat, quærendum, an nulli leves fuerint. Si fuerint, quot numero videantur fuisse. Nam quod Plutarchus scribit duplicata urbe receptis in eam Sabinis etiam duplicatum ab eodem Romulo legionis numerum, & senum milium factam, quæ antea erat ternum, id falsissimum. Semper enim in hoc numero mansisset, tanquam legitimo & ordinario. Atqui constat vel ætate Polybii quaternum milium fuisse, & hunc numerum ab eo tradi legionis quasi statum ac sollemnem. Sed & paulo post ejectos reges scribebantur legiones quaternum milium, ut ex Dionysio liquet, lib. vi. Verum de his alibi. Hic quærimus, an in legione Romuli, quæ ex tribus milibus componebatur, *leves* aliqui pedites fuerint, quales Græci *ῥεῖς* appellant & *κρησται*. Cum in *Hastatos, Principes, & Triarios* divisa fuerit,

non alia præter hæc tria corpora agnovisse in legione videntur auctores, qui de Romuli institutione scripserunt. Ovidius lib. III. Fastorum de hac Romulea legione:

Inde Patres centum denos secrevit in orbes

Romulus, Hastatos instituitque decem.

Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat,

Corpora, legitimo quique merebat equo.

Trium millium hæc fuit legio, in tria corpora divisa, *Hastatorum*, *Principum*, & *Triariorum* sive *Pilanorum*. Ergo singula hæc corpora singula militum milia habuere, in decem partes sive manipulos & ipsa distributa. Sed & in unoquoque manipulo centum fuere milites, sive una justa centuria. Sic *Triarios* æquales numero tum fuisse oportet *Hastatis* & *Principibus*. Nullos ergo *leves* pedites habuerit eo tempore legio. Arqui Polybius tradit, nunquam in legione Romana *Triarios* plures fuisse sexcentis, quamvis & ipsi in denos dividerentur manipulos, haud secus quam *Hastati* ac *Principes*. Quin & si quando plures quaternis milibus in legione scriberentur pedites, & fieret legio quinum aut senum milium, cum proportionem cætera corpora augerentur, *Velitum*, *Hastatorum*, & *Triariorum*, semper tamen eundem servatum *Triariorum* numerum. Si ita ab initio fuit, ut verisimile est traditum hunc à prima institutione atque observatum fuisse posteris morem, *Triariorum* corpori, qui sexcenti etiam tunc fuerunt, adnexos constat quadringentos *leves*. Ideo autem cum *Triariis* juncti fuerunt *leves* pedites, quia utrique in postremam aciem rejiciebantur. In pugna Romanorum cum Latinis circa annum urbis ccccxv. Livius aciem Romanorum describens, *Triarios* cum *Rorariis* & *Accensis* in ultimo ordine collocat. Ergo Romuli ætate ex ejus instituto *Triarii* in legione cum *levibus* mixti erant, non tamen ut eodem tempore pugnarent, & iisdem armis. In acie quippe ordinanda, cum in ultimum semper locum rejiceretur levis armatura, atque etiam post *Triarios*, cum promovebantur adversus hostem ordines per intervalla ordinum præcedentium ante frontem primæ aciei procurrebat ibi pugnam inchoatura. Quod & diserte tradit Dionysius lib. v. levem nempe armaturam in præliis τὸ ἐξ ἁπλῶς τῆς τῆς tenuisse, & ad lacessendos & terrendos hostes legioni adscriptos additamenti vicem fuisse, τῆς ἐν φά-

Φάλαγγι πταγμένοις κατὰ πλήξεως ἕνεκα τῶν πολεμίων σιώντες. Non poterant autem hosti pavorem incutere nisi ante primam aciem pugnantes, quo loco semper apud Romanos pugnam incepisse constat leves pedites, cum tamen in ordinanda acie in ultimo locarentur, vel inter manipulorum intervalla, ut aliquando fiebat. De quo nos infra pluribus. In ea pugna Romanorum cum Latinis sicut à Livio describitur lib. viii. duo genera, ut dixi, *levium* recensentur. Quorum unum videtur fuisse legioni adnexum, alterum extra legionis numerum additum. Scribit enim Livius manipulos *Hastatorum* præter aliam turbam *scutatorum* habuisse etiam *leves videnos milites*, leves autem hos vocatos, qui hastam tantum gælaque gererent. *Manipulus*, inquit, *leves videnos milites præter aliam turbam scutatorum habebat. Leves autem qui hastas tantum gæsaque gererent, vocabantur.* Si ponamus in singulis manipulis *Hastatorum* & *Principum* videnos leves fuisse, ex videnis in totum manipulis, denis *Hastatorum*, denisque *Principum*, quadringenti existent leves, quem numerum in legione Romuli fuisse ex conjectura proposuimus. Præter illos autem *leves* Livius, qui singulis manipulis *Hastatorum* & *Principum* videni inerant, *Rorariorum* & *Accensorum* meminit, qui & ipsi leves erant, sed extra censum legionis additi, & sub propriis vexillis incedentes, de quibus abunde dictum est superiori capite. Et fortassean utrumque hoc genus *levium* non tantum eo differebant, quod alii legioni inferri erant, alii extra legionem habebantur in numero *adscriptivorum*, sed etiam telorum genere discernebantur. Gæsa & hastas tribuit Livius *levibus* legionariis. *Rorarii* ergo & *Accensi*, sed hi præcipue lapidibus tantum fundisque instructi in prælium ibant. De *Accensis* certe id constat, de *Rorariis* supra ostendimus etiam hastas eos habuisse leviores. De his autem qui fundis tantum lapidibusque depugnabant, scribit plane Dionysius extra censum ac numerum legionis fuisse, sed quasi appendicem & additamentum scutatorum seu legionariorum ad bella processisse. Ita enim lib. v. memorat de illis qui minimum censum deferrebant, ὅτι πλὴν ἐσχάτῳ ὑπελάμβανον ἐν ταῖς πολεμίοις χώραν οἱ τὸ ἐλάχιστον ἔχοντες ἔξ βίβη πίημα, καὶ ὅτι περὶ δὴ κῆς μοῖραν ἐπέχον ἔτι τοῖς ἐν Φάλαγγι πταγμένοις σιώντες, κατὰ πλήξεως ἕνεκα τῶν πολεμίων, οἷα δὴ μὴδὲν φέροντες ὅπλον ὅτι μὴ σφειδόντας, ὧν ἐλάχιστον ἐν τῇ μάχῃς ἡ ὄψις.

λϞ. In his verbis duo notanda: quod hi quibus minimus census erat, additamenti tantum vicem in legione obtinebant, ac proinde extra legionis numerum censēbantur: & quod fundis tantum pugnabant. Quod genus quia minimi usus erat in bello inter legionarios nunquam receptum fuit. Tales ii, quos *accensos* & *adscriptivos* Romanis dictos supra docuimus. Alludere ad eam appellationem videtur Dionysius cum ait, προδήκης μοῖραν eos obtinere, & ἐν φάλαγγι πταγμένοις σωέντες. Qui enim adscripti & *accensi* legioni erant, quasi additi ad legionem videntur, extra tamen ejus numerum accensum, ut de *adscriptivis* loquitur Plautus. Hi & *ferentarii* dicebantur. Festus, *Ferentarii auxiliares in bello, à ferendo auxilio dicti, vel quia fundis & lapidibus pugnabant, quae tela feruntur, non tenentur. Ferentarii levis armatura pugnatōres.* Quod ait *auxiliares* ita appellatos, certe id ex eo venit, quod ejus ætate plerique ejusmodi levis armaturæ milites inter auxilia militabant, ut funditores Baleares, aliq; nec ex Romanis civibus sumebantur. Olim tamen etiam ex Romanis sumpti qui fundis pugnarent, & saxis nuda manu jaciendis. Telis talibus instruebantur, qui ad supplementum legionum ut in mortuorum locum militum succenturiarentur, castra sequi solebant. Duo ergo genera *levium* fuere, qui in legione locum habebant, & qui extra eam numerabantur, Dionysius in censu classium qualis à Servio institutus est, peditum Romanorum armaturam in levem & gravem dividit, in *φάλαγγίτας* & *ψιλῆς*, in *scutatos* & *leves*, sive legionarios & *accensos*. Levibus tribuit *σάβια* & *σφενδόνας* gæsa & fundas, quos ait ἔξω τάξεως ἀλδέσθαι, extra ordinem vel sine ordinibus lib. iv. Non tamen hæc verba necessario significant extra legionis numerum ac censum eos fuisse habitos. Nam & velites sequenti ævo post Punicum nempe secundum bellum, quos constat partem legionis fecisse, sine ordinibus pugnabant, & ἔξω τάξεως. Sed alibi clarius ad legiones eos adscriptos ita ut extra numerum ejus haberentur, significat, cum dixit, προδήκης μοῖραν eos obtinuisse, loco quem jam supra adduximus. Idem lib. vii. τάξιν eos ἐν φάλαγγι non habuisse perhibet, sed levis armaturæ nomine, *ψιλῆς* & *κῆφης* appellat, cum scutatis & gravius armatis in bellum proficisci solitos, gæsis & fundis armatos. Ὅτι δὲ καὶ αὐτῶν σάβια καὶ σφενδόνας. Οὗτοι δὲ τάξιν ἔχοντες ἐν φάλαγγι, ἀλλὰ ψιλῆς καὶ κῆφης

καὶ Φοι συνεστάνοντο πῆς ὁπλίταις, εἰς τριάκοντα λόχους διηρημένοι. Ne ex istis quidem possit argui hujusmodi *leves* in numero legionis non fuisse censitos. Nam & *velites*, qui partem legionis constituiebant, sine ordinibus, sine signis pugnare soliti, non inter legionarios, nec cum his prælium capeſſebant. Præterea etiam tempore Polybii *velites*, quos ille *ῥεοσφομάχους* appellat, ex iis ſumebantur, qui in cenſum minus deferebant quam cæteri, ut ii de quibus loquitur Dionyſius in cenſu claſſium à Servio inſtitutarum, ἀφ' ἑλέγχεσσι τῶν ἀνδρῶν τὰς μὲν νεωτάτους καὶ πειροτάτους εἰς τὰς ῥεοσφομάχους. Nam maxime juvenes & pauperrimos eorum qui claſſibus adſcribuntur, Tribuni in *Velites* ſeligunt. Cum tamen certum ſit, quosdam pedites levis armaturæ extra cenſum legionis antiquitus fuiſſe numeratos, ut de *accenſis* & *Rorariis* ſupra probatum eſt, ita accipienda eſſe Dionyſii verba palam eſt. Et cum certum præterea numerum *levium* in legione per manipulos ſcuratorum diſtributum fuiſſe ex Livio conſtet, idem de *velitibus* à Polybio narratur, cum dicit, τῶν ῥεοσφομάχων τὰς ὀπιβάλλοντας καὶ τὸ πλεῖθον ἵστας ὅτι πάντα τὰ μέρη διένειμαν. *Velites* autem prout ipſorum eſt multitudo equaliter in omnes manipulos, *Hæſtatorum* nempe *Principum* & *Triariorum*, diſtribui ſolitos. Non tamen iidem fuere *leves* illi Liviani cum *velitibus* Polybianis. Nam nondum eo tempore, quo illa pugna Romanorum cum Latinis commiſſa eſt, *velites* in Romana legione noti erant, quos introductos belli Punici ſecundi temporibus auctores conſentiunt, haud ſcio an in verum. Horum porro *levium*, qui *velites* ætate Polybii nominabantur, non ſemper eundem fuiſſe numerum in legione, ex ipſo Polybio perſpicuum eſt. Cum enim in numero legionis incundo, quæ tunc quaternum erat millium ac ducentorum, dixiſſet ſemper *Triarios* ſexcentos ſcribi ſuetos, *Hæſtatos* vero mille & ducentos, & æqualem his numerum *Principum*, addit, οὗτοι ἡ λοιπὰ καὶ νεωτάτους ῥεοσφομάχους reliquos ac minimos natu. *velites*. Poſteſt tamen ita accipi, ut de reliquo numero, quater milium intellexerit. Sexcenti *Triarii*, mille ac ducenti *Hæſtati*, totidem *Principes*, fiunt tria millia. Et reliqui ex numero quaternorum milium ac ducentorum, qui legioneſtatebant, *velites*. Ergo & mille ducentos eos fuiſſe hinc clarum eſt. In legione Romuli quæ ternum millium, ſi non plures fuere *Triarii* quam in Polybiana, quadringentos tantum

ut

ut diximus habuisse eam *leves* necesse est. Si omnes in ea graves ac scutati fuere, aut æqualis numerus *Triariorum* reliquis fuit, aut si idem qui postea, tunc etiam à Romulo institutus est, tum sane dicendum, eodem numero *Hastatos* & *Principes* ab eo constitutos esse, quo in legione Polybiana censebantur, nempe mille ducentos *Hastatos*, & totidem *Principes*, qui fiunt in totum duo milia quadringenti. Quibus si addideris sexcentos *Triarios* seu *pilanos*, habebis legionem trium millium scutatorum. Videntur autem cum legio quater millium postea facta est, eum integrasse & absolvisse numerum pedites *leves* legioni adnexi mille ac ducenti. Certe quindecim circiter annis post exactos reges, legiones ex quaternis millibus fuisse conscriptas, auctor est Dionysius, lib. VI. *Καὶ γίνετ' δέκα σπαρτωτικά πύγματ' ἐξ ἀνδρῶν περακιγλίων ἑκατὸν*. Si singulis milibus auctæ tunc fuere legiones præter Romuli institutum, qui ternum eas milium fecerat, oportet numerum illum additum esse, vel ex levibus solis, vel ex gravibus, vel etiam proportionem ex utrisque. Probabile autem est, cum hic idem numerus legitimus legionis fuerit etiam Scipionum ætate, nempe quaternum milium, *leves* totidem solitos tunc censei, quot numeratos fuisse docet suo tempore Polybius, nempe mille ducentos. Et sane quum *leves* ex infimo censu caperentur, & ex minoribus natu deligerentur, plures ex eo ordine ad nomina respondisse verisimile est, quam ex prioribus ditiorum classibus. Unde & *Triarii*, qui ex ditissimis solebant eligi, minimum in legione numerum semper constituerunt, sexcentique tantum fuerunt, cum ex reliquis classibus in uno quoque genere mille ac ducenti ad legionem conficiendam adsumerentur, in *levibus* nimirum, in *Hastatis* & *Principibus*. Additionem illam milium singulorum ad numerum legionis Romuleæ quæ trium tantum milium fuit à Servio factam cum viris doctis suspicor. Nam trium milium fuit cum tres tantum Tribus fuere, ac singulæ Tribus singula milia mitterent, postea una tribu addita à Servio qui *περαφυλον* urbem fecit Romanam pro *τριφύλῳ*. Sic quater milium legio facta est. Qui numerus legionis quasi legitimus usque ad Scipionum ætatem duravit, quamvis subinde pro necessitate rerum ac temporum aliquando auctior fieri soleret, & proveheretur interdum usque ad quina milia, aut etiam sena. Nec obstat, quod ex Dionysio

nyfio & Livio constat, dilectum tum temporis cum Servius quatuor tribus instituit, fieri potius secundum opes solitum quam secundum Tribus. Perperam enim hoc opponunt viri docti, quippe cum Tribus singulæ ditiores habuerint & pauperiores, & in *opibus* sive classes fuerint ex censu distributæ. Alia enim fuit per Tribus populi divisio, alia per Classes sive Centurias. Nec impedit altera distributio alteram. Constat inter omnes censum à Servio institutum. Sub Romulo ergo dilectus ad legiones conscribendas non ex censu fiebat. Servius censu instituto secundum opes cujusque dilectum fieri voluit, idque mansit usque ad Marium, ut infra dicam. Tribuum numero amplificato usque ad triginta quinque, non tamen legio totidem milium facta est quot Tribus erant. Quod tamen à Romulo primum factum, cui tres Tribus tantum fuere, & à Servio quoque observatum, qui quartam addidit Tribum, & quater milium legionem constituit, qui numerus semper mansit veluti legitimus quamdiu ex censu actus est dilectus, quod primum Marium mutasse infra docebimus. Sub Servio igitur ultima & quinta classis *Accensos* dabat, qui *levs* erant illius temporis, fundis lapidibusque missilibus tantum instructi. Livius lib. I. *Quinta classis aucta, centuria triginta facta, Fundas lapidesque missiles ii secum gerebant. In his Accensi, cornicines tubicinesque in tres centurias distributi.* De *Rorariis* nihil dicit, qui paulo honestiores ac digniores habiti videntur, & altiori Classi adscripti, utpote ex ditioribus sumpti. In Classe quarta hi censiti si forte fuerunt. Sic enim idem Livius scribit ibidem: *In quarta classe census quinque ac viginti milium, totidem centurie factæ, arma mutata. Nihil præter hastam ac verutum datum.* Ex hac classe non solum *Hastati* qui dicebantur sumpti videntur, sed etiam *leves* legionis, qui *gæsa* & hastam gerebant. Nam *Accensi* fundis lapidibusque pugnantes extra legionem erant, utpote ex quinta Classe electi. Non possum autem, ut verum fatear, concoquere, quod notavit Festus de *Accensis* ita nimirum dictos fuisse qui castra sequerentur, ut in mortuorum locum succederent, ad supplementa nempe legionum. Nam cum ex censu dilectus ageretur, & *Accensi* ex classe quinta & ultima pauperrimorum civium sumerentur, ita potuissent in numero *Hastatorum*, vel *Principum*, vel *Triariorum* militare. In legione quippe Polybiana *Velites* qui sole-

bant etiam deligi ex infimo censu non sequebantur miliriam nec in legione conscribebantur, ut in demortuorum locum succederent. Nec enim si qui defecissent ex *Haſtatis* vel *Principibus* vel *Triariis*, suppleri consueverant ex corpore *velitum*. *Haſtati* ex suæ classis hominibus supplementa accipiebant, item *Principes*, item *Triarii*. Non videtur ergo aliter fuisse observatum cum *Accensis* in exercitu pro levi armatura numerabantur. Cum enim ex infima classe tenuissimi census civium deligerentur, non suppleendis aliis corporibus legionis sufficebantur, quæ corpora ex aliis ac potioribus prioribusque classibus solita essent conscribi. Certum quidem est, nec de eo potest dubitari, *adscriptivos* sive *adscripticios* milites certo numero castra sequi olim consuevisse, ut essent unde per suffectionem supplerentur, qui in legionibus defecissent. Immo vel post *velites* etiam in legione institutos *Accensis* istis & *adscriptivis* locum in castris fuisse constat. Nam eorum meminerunt auctores qui vixere post obsidionem Capuæ in qua *velites* feruntur instituti. Sed non puto istos *adscriptivos* ex sola quinta & ultima classe fuisse sumptos, cum ex omnibus potius classibus electos verisimile sit, ut nimirum possent substitui semper aliqui in locum decedentium *Haſtatorum* & *Principum* & *Triariorum*. Si hi *accensis* etiam dicti sunt, certe *Accensos* fuisse oportet ex omnibus classibus ad hoc munus electos. Sin autem *accensis* ut ex Livio cognoscimus, in quinta classe censebantur, non iidem fuere cum illis *adscriptivis*. Immo constat ex eodem Livio *Accensos* nomen fuisse *levis* armaturæ Romanæ quæ fundis tantum ac lapidibus instructa pugnabat, quæque extra legionis numerum erat. Hinc fortasse factum, ut cum *adscriptivis* eo nomine confunderentur, qui & ipsi castra inermes sequebantur, ea tantum gratia ut in mortuorum militum locum substituerentur. *Accensis* certe Livio fuere funditores qui ex quinta classe undecim æris æstimata deligebantur, quique extra numerum legionis erant, quos etiam negat Dionysius *μέγιν* habuisse in legione sive *Φάλαγγι*. His alii *leves* fuere legionis corpori inserti qui gæſa & hastas gerebant, quique ex quarta classe sumebantur. His *velites* succedere secundo bello Punico. *Accensis* autem & *Rorarii* in exercitu Romano usque ad illud tempus nomen habuere. Sed & post illud tempus, ut infra dicam.

C A P.

C A P. XVI.

*De velitum per bellum Punicum secundum institutione, deque
eorum differentia ab antiqua levi armatura, &
de ratione nominis eorum cur ita
appellati fuerint.*

VElitum appellatio de levi armatura nota tantum fuit in Romana legione post bellum Punicum secundum, cuius belli tempore instituti, ut volunt, fuere. Antea, ut superiore capite dictum est, *Accensorum* & *Rorariorum* nomine, item *ferentariorum*, levis armatura Romana vocabatur. Quorum alii in ipsa legione censebantur, alii extra legionem. Præterea alia etiam levi armatura Romani utebantur quæ ex civibus vel Sociis non sumebatur, sed mittebatur ab externis. Nam quod ad peditem statarium & equitem attinet, non alio usi sunt quam ex civibus electo, aut à Sociis Latini nominis misso. At *levium* armatorum aliquando auxilia externa habuere, ut liquet ex Livio lib. XXI. ubi post cladem ad Trasymenum acceptam cum Hiero rex Siciliae Romanos quibus rebus posset juvare se paratum esse legatione missa ostendisset, non alia misit auxilia præter levem armaturam, & rationem hanc addidit, *Milite enim, inquit, atque equite scire senisi Romani Latinique nominis non uti populum Romanum, levius armatorum auxilia etiam externa vidisse in castris Romanis, itaque misisse mille sagittariorum atque funditorum aptam manum adversus Baleares funditores ac Mauros, pugnacesque alias missili telo gentes.* Inde & *Ferentarios* Festus *auxiliares* interpretatur à ferendo auxilio dictos. Ex quo patet eum putasse *ferentarios* proprie appellatos *levium* armorum pedites qui ab externis missi essent. Hi externi *ferentarii* in illo bello Punico sæpe usurpati à Romanis fuere. Ipse Livius *levium armorum auxilia* appellat, ubi instructionem ad Cannas Romanorum describit: *Ex ceteris levium armorum auxiliis prima acies facta.* Non nominat ibi *velites* quia nondum hoc nomen in exercitu Romano pro *levibus* legionis forsan audiebatur, quos postea institutos in obsidione Capuana auctores consentiunt. Non recte igitur idem Livius lib. XX. eos nominaverit in pugna ad Trebiam: *Tamen in tot circumstantibus malis mansit aliquandiu immota acies, ma-*

xime præter spem omnium adversus elephantos. Eos velites ad id ipsum locati verutus conjectis, & avertere & insequi averfos, sub caudis qua maxime molli cute vulnera accipiunt, fodiebant. Ita enim ibi scribendum, pro vulgato *pedites*. Polybius in eadem pugna describenda *παρανέτες Ρωμαῖος* appellat, quamvis de elephantis nihil tale habeat quale apud Livium eo loco legitur. *Παρανέτες Ρωμαῖοι* Polybio vocantur, id est *jaculatores Romani*, non *γεοσφομάχοι* quo nomine solet *velites* indigetare, qui sic primum appellati sunt in obsidione Capuæ annis post hoc factum circiter octo. Livius quoque *jaculatores Romanos* videtur appellare *leves* Romanorum *pedites* in pugna Cannensi, his verbis, *ad medium juncti legionibus Romani tenuerunt jaculatores. Ex ceteris levium armorum auxiliis prima acies facta.* Ita enim puto eum locum constituendum, absque ulla mutatione quæ etiam nulla conspicitur in veteribus libris. Quatuor annis post diem Cannensem Romani Capuam obsederunt, in qua obsidione, *Velitum usus*, ut scribit Valerius lib. II. cap. III. *primum repertus est. Nam cum equitatu Campanorum, crebris excursionibus equites nostri, quia numero pauciores erant, resistere non possent, Navius centurio è peditibus lectos expediti corporis brevibus & incurvis septenis armatos hastis, parma tegmine munitos veloci saltu jungere se equitibus, & rursus celeri motu dilabi instituit, quo facilius equestri pralio subjecti pedites viros pariter atque equos hostium telis incesse- rent. Eaque novitas pugna unicum Campana perfidia debilitavit auxilium. Ideoque auctori ejus Navio ob hoc honos est habitus.* Livius lib. XXVI. hæc eadem de *velitum* institutione ferme narrat, cum equestria prælia facerent prospera Campani contra Romanos, hique equitatu impares essent, initam esse rationem, ut æquaretur arte quod viribus deerat. Tum electi sunt ex omnibus legionibus juvenes maxime vigore, ac levitate corporum veloces, parmæque iis datæ breviores quam equestres, & septena jacula quaternos longa pedes, ferro præfixa. Eos singulos in equos suos accipientes equites assuefaciebant & vehi post sese, & desilire perneciter ubi signum datum esset. Ex ea re cum equitatu quoque superior Romana acies adversus Campanos evasisset, *institutum*, ut ait Livius ibidem, *ut velites in legionibus essent.* Ille *Navium* vocat auctorem centurionem immiscendo-
rum

rum equiti peditum, qui Valerio *Navius*. Hoc *levium* ergo militum genus in legione Romana ante illud tempus non fuit. Ex peditibus legionum facti sunt velocissimis & maxime juvenibus. Ergo ex *Hastatis* potius delecti fuere, quam ex aliis duobus corporibus *Principum* ac *Triariorum*. Cur non potius ex levibus? Sed quæstio est, utrū hoc *velitum* usu reperto, cæteri levius armati in exercitu Romano desierint, quales *Accensierant* ac *Rorarii*, non solum jaculis pugnantes, sed etiam fundis ac lapidibus. Quæri etiam illud potest, an *velites* isti semper hoc munus habuerint post primam eorum institutionem, ut inter equites dimicarent, post tergum equitum iisdem equis vehi soliti, & inde desilire, cum res ac tempus exigeret ad pedestrem pugnam inter equites ciendam. Quod ad primam attinet quæstionem, ante institutionem *velitum*, aut nulli alii *leves* in legione fuerunt, aut fuere sed alterius generis & nominis. Si non fuere alii *leves*, tum legio trium tantum milium fuerit oportet ante obsidionem Capuanam cujus tempore instituti sunt primum *velites*. Nam demptis mille ducentis *velitibus* è legione, quot numero eos fuisse Polybius docet, tria millia peditum remanebunt, quot fuisse certum est in legione Romulea. Atqui statim post expulsos reges quaternum milium conscribi solitas legiones ex Dionysio discimus. Ergo vel longe ante illud tempus quo dicuntur instituti *velites*, legio alios *leves* habuit. Et sane habuisse jam supra ostendimus. Eundem quoque *levium* numerum fuisse in legione antequam instituerentur *velites*, verisimile est. Livius circa annum urbis ccc cxv. videnos *leves* singulis manipulis tribuit scutorum sive gravium militum. Sic in legione trium millium sexcenti tantum fuerunt. Sed quoniam vel ab antiquo quaternum millium legiones conscribi consueverant, verisimilius est quadragenos *leves* in singulis manipulis numeratos esse. Et hic numerus convenit cum eo *velitum*, quem in legione quaternum milium fuisse tradit Polybius. Ex his igitur constat, *levem* suam armaturam habuisse legiones longo tempore antequam obsideretur Capua. Sed alterius fortasse can generis fuerunt, ut & nominis. De utroque videndum. Antiquæ legionis *leves* hastam & gæsa gessisse Livius indicat lib. v III. Septenas hastas idem tribuit *velitibus* lib. x III. Gæsum etiam genus hastæ vel jaculi de quo Varro lib. III. de

vita P. R. *Qui gladiis cincti sine scuto cum binis gæsis essent.* His verbis sine dubio describebat *leves* antiquæ legionis pedites. Hæc igitur sola mutatio facta videtur tempore obsidionis Capuanæ in *levibus* legionis, ut pro binis gæsis, septenas hastas *leviores*, sive etiam septena gæsa acceperint. Et parma iis addita est quam antea non habebant. Valde quippe probabile est, cum electi sunt in illa obsidione ex omnibus legionibus Romanis juvenes maxime vigore ac levitate corporum veloces, non ex aliis legionis corporibus sumptos fuisse, quam ex *levi*s armaturæ numero. Nam in hoc præcipue corpore expeditorum ac *levium* peditum tales fuisse, qui tunc requirebantur, maxime veloces ac vegeti. Præterea cum ex censu jam ab antiquo diversa illa genera ac corpora legionis eligi & conscribi solerent, non indiscretim ex aliarum classium generibus capti sunt, qui in eo genere militarent quod suppeditabatur ab infima omnium classe. Quod secundam spectat quæstionem, an *velites* semel instituti semper hoc muneris habuerint, ut cum equitibus permixti pugnarent, interim in equos post terga equitum salientes, interim ex his desilientes, posse dici censeo non perpetuo ita pugnasse, quia nec necessitas postea talis exitit qualis tunc Romanos ad hoc inventum adegit quando Capuam obsidebant. Non legimus certe posterioribus hoc instituto temporibus vectos fuisse *velites* ab equitibus in prælium, qui pugna cœpta desilirent, & inter equites pedites ipsi dimicarent. In aliis quippe sequentibus præliis nunquam id factitatum animadvertere licet. Inter equites & ante equites *levem* armaturam sæpe pugnasse legimus. Quod & antea fecisse eos constat, cum *velites* nondum essent. Assuefacti ergo per obsidionem Capuanam *leves* legionis cum equitibus simul in pugnam procedere, post tergum eorum vehebantur ut possent propulsare equitatū hostium. Postea ubi necessitas eadem non fuit, nec simili genere pugna decertabant, ut ab equitibus in equos suos tollerentur, & veherentur in locum certaminis. De aliis etiam populis hoc narrant auctores, ut de Germanis Cæsar & Tacitus, ac de Numidis, solitos eos nimirum pedites levitate corporum ac velocitate præstantes inter equites miscere. Idque etiam ipsis Romanis, ut dixi, semper fuit familiare, non solum ante institutionem *velitum*, sed etiam postquam desierunt sic appellari, mutata militiæ ratione.

tione. Sallustius in Jugurthino: *Auxiliarios equites Tribunis legionum & praefectis cohortium dispartiverat, ut cum his permixti Velites, quacunque invaderent equitatum hostium propulsarent.* Eadem ratio fecit ut hi *Velites* inter equites pugnarent & in obsidione Capuana, ad equitatum nempe hostium propulsandum. Quod *velites* nominat Sallustius, suo more id facit, verbis antiquis usus in re jam antiquata, ut *ferentarios* alibi dixit pro levi armatura. Certum quippe est, ejus ætate *Velites* in exercitu Romano nullos fuisse nomine. Gladiatores sic vocabantur, ut paulo post dicam. Cæsar in bello contra Pompejum hac etiam arte usus est, cum equitatu minus valeret, *ut adolescentes atque expeditos ex antesignanis electos milites ad pernecitatem armis inter equites præliari juberet.* Illi *antesignani* leves illius temporis in legione fuere. Idem porro in obsidione Capuæ factitatum videtur à ducibus, quod tunc se fecisse narrat Cæsar, ut ex numero *levium* omnium legionum velocissimos & maxime vegetos eligerent, qui præliari inter equites possent, ut equitatu hostium à quo maxime infestabantur, ita melius possent resistere. Plura etiam illis data jacula, quam antea gerere soliti, & septena pro binis. Parma etiam addita quam non habebant. Non puto autem numerum *levium* adauctum in legione fuisse, sed nec nomen aliud iis donatum. Nam mirum est, Polybium qui eadem illa ætate vixit, nihil de novo illo *velitum* instituto in legione Romana scripsisse, cum nescire hoc non posset, utpote re adhuc satis recenti, cum de militia Romana commentatus est, ubi *ῥεοφοράχης* appellat, qui tunc Romanis vocabantur *velites*. Ubi de his agit, non meminit recentem & tum primum institutum fuisse eorum in legione usum atque appellationem. Capua obsessa est anno urbis **DXLI**. Hist. Polybii desinit in anno **DCIX**. Polybio itaque jam nato potuit illa *velitum* institutio fieri. Sed quod magis mirandum est, ipse Polybius in ea obsidione describenda lib. **IX**. de illa *velitum* institutione nihil plane memorat, non omissurus rem tanti momenti, si ad ejus notitiam ea pervenisset. Non autem verisimile hoc eum ignorasse, qui in historia Romana, & quidem sui temporis adeo versatus & exercitatus fuit. Dicit ibi Romanos in obsidenda ea urbe, quod impares essent equitatu hostium, intra castra se perpetuo tenuisse, quod formidarent equitatum hostilem, ne
 quid

quid ab eo mali paterentur. Quod certo passuri fuissent, si in certamen copias eduxissent. Τά πε γδ, inquit, πει τῶν Καπύλων τὴν συμβαίνοντα εἰκότως ἑκατέρωθεν ἀπλώντα. τὸ μὲν γδ τῷ Ῥωμαίων στρατόπεδον ἐξιέναι μὲν πρὸς μάχην σὺν ἐπάρρηδι, τῷ δὲ δέναι τὰς τῶν πλεμίων ἰπποεῖς. ἔμμενε δ' ἐν τῇ παρεμβολῇ πεποληκώς, σαφῶς εἰδὸς ἀβλαβῇ τῶν ἵππων αὐτοῖς ἐσομένῳ ὑφ' ἧς ἐν τῇ μάχῃς ἡττήσθαι. Narrat ibi auctor gravissimus & prudentissimus quomodo Romani bello Hannibalico, inferiores Carthaginensibus ex eo fuerint in omnibus ferme praeliis quod equitatu illi praevalerent. Atque alias quidem studiose captasse locorum eam naturam quæ ipsos tutari possent ac defendere ab equitatu Carthaginensium. Sed in obsidione Capuæ, quæ in planitie undiquaque extensa sita erat, cum idem præstare non possent, alia ratione cavisse ne quid detrimenti ab equitibus hostium paterentur, intra castra se tenendo, nec in pugnam copias educendo, cum in omnibus fere certaminibus, quæ in locis equestri prælio aptis fiebant, inferiora ferrent ac victi discederent. Hic locus erat ei rei memoranda quæ rationem iniverunt tunc Romani ne vinci possent ab hoste, institutis *velitibus*, qui equitibus mixti contra hostem pugnarent. Ad nomen ipsum quod attinet *velitum*, nihile ea appellatio præfert quo novi instituti ratio declaretur. *Leves* fuere assuefacti post tergum equitum vehi, & mox desilientes pugnam inter eos capessere pedestrem. Hoc non significatur vocabulo *velitum*. Nam quod putant quidam ita dictos, quasi *volites*, id est volantes, ineptum est ac falsum, cum prima in *veles* longa sit, quæ in verbo *volo* est brevis. Nec melior originitio Isidori, qui à civitate Etruriæ ita etiam appellatos scribit, cum nulla civitas Etruriæ hoc nomine reperitur apud veteres. Præterea de alio genere *velitum* loquitur. *Veles* igitur à velis nuncupatus, idemque omnino est quod *velatus*. Quod nomen fuit antiquæ *levis* armaturæ, sic dictæ ut volunt quod *velati* tantum, id est vestiti, non etiam loricati & armis recti in prælium incederent. Ita *Accensos* olim vocatos fuisse supra docuimus. Festus: *Velati*, appellabantur vestiti & inermes, qui exercitum sequebantur. Ipsi sunt & ferentarii qui fundis ac lapidibus pugnabant, quæ tela feruntur non tenentur. Omnino igitur *velati* & *velites* iidem, ut *armati* & *armites*, οἱ ὀπλίται. Optimæ Glossæ: *Armites*, ὀπλίται οἱ ἐν ἐσχάτῃ τάξει. *Triarios*

rios sic videntur olim appellasse quia ex omnibus legionariis maxime gravia arma habuere. Eadem Glossæ: *Armites*, ἰσπαλῶν & ἀρμίτης. *Acies* nempe armatorum. Sic *arquites* vel *arcites* antiquitus vocabantur qui arcu præliabantur, ut notat Festus. An non sic *equites* dicti sunt οἱ ἰπποῖ, ut qui arcus habent, οἱ τοξοὶ *arcites*, & qui arma *armites*, οἱ ὀπλίται? Ergo & *velites* idem & *velati*, qui velis tantum tecti erant & vestibus, non etiam lorice tecti, ut scutati & gravium armorum milites. Antiquiorem porro *velitum* appellationem Capuana obsidione fuisse multis potest argumentis evinci. Ab illis *velitibus* verbum *velitari* factum pro verbis contendere, & levibus rixis iurgisque certare. Nam proprie *velitatio* ἀνδροβολισμὸς. Eo verbosius est Plautus fortasse an antequam obsiderent Capuam Romani. In Menæchmis: *Quid velitati fuistis inter vos*. Idem in Rudente: *Equidem me ad velitationem exerceo*. Nam *omnia corusca prae temore fabulor*. Ubi *velitatio* est velitaris pugna, quia coruscabant ac crispabant hastas priusquam eas jacerent. *Velitationem* Festus interpretatur, *ultra citroque probrorum objectionem exemplo velitaris pugnae*. Item alio loco, *Ad velitationem, jaetationem quandam esse verborum figuratam ab hastis velitaribus*. *Velites* enim dici *milites expeditos, quasi volites, id est volantes*. Plautus quidem in scena floruit Punici belli secundi ætate, nec præcise tamen dici potest an eas comœdias in quibus *velitationis* meminit scripserit ante Capuanam obsidionem. Sed sane apparet *velitum* nomen pridem notum fuisse in exercitu Romano, cum verbum inde factum passim usurparetur ab auctoribus quos scripsisse verisimile sit ante id tempus quo *velites* dicuntur instituti à Livio ad Capuam. Postremo ille ipse Livius sibi met ipsi hac in re contrarius *velitum* meminit in rebus Romanis antequam Capua obsideretur, ut ante notavimus. Quod & alibi apud eum occurrit. Ipse quoque Polybius qui ῥεσφομάχης Græce proprie appellat, quos Romani *velites*, eorum meminit longe antequam Capua obsessa esset à Romanis, primi nempe belli Punici tempore, ubi pugnam memorat quam Romani cum Carthaginiensibus fecerunt, ducem habentibus Xantippum: καὶ πεσορῶμενοι πρὸ τῆ ἐλεφάντων ἑφοδὸν προθήμενοι τὰς ῥεσφομάχης πολλὰς ἐπὶ ἀλλήλους κατόπιν ἵσταναι σημαίας. Idque nomen alibi apud eum occurrit ante & post obsidionem Capuæ. Quos ῥεσφομάχης non
Y aliter

aliter liceat reddere quam *velites*, quoniam eà tempestate non alio nomine appellabatur levis armatura Romanæ legionis. *Jaculatores* etiam appellat Livius, ut Polybius *πῆλαιοι*. Quod ad rem ipsam attinet, multo ante obsidionem Capuæ id observatum à ducibus Romanis constat, ut permiscerent equitibus jaculatores, Livius lib. xx. *Sempronius contra continendis in fide Sociis maximum vinculum esse, primosque qui coissent ope defensos censebat. Tum collega cunctante equitatum suum mille peditum jaculatoribus ferme admixtis ad defendendum Gallicum agrum trans Trebiam mittit. Vocat jaculatores peditum*, quæ Polybio *πῆλαιοι*, qui *leves* erant legionis, ut ipse Livius eos lib. xviii. nuncupat, quosque eo nomine distinguit à *Rorariis*, & *Accensis*, qui fundis & lapidibus pugnabant. Ita idem lib. xx. *Levem armaturam à Balearibus, qui funditores erant, distinguit: Baleares locat ante signa, levem armaturam octo ferme millia hominum, dein graviores armis peditem*. Sed de Hannibalis instructione loquitur. Ergo *leves* & *levis armatura* de his proprie dicebatur, qui jaculis & hastis rem gerebant, à quibus distinguebantur sagittarii & funditores. Velites itaque illius temporis, qui jaculatores, ab eodem Livio separantur à sagittariis & funditoribus, lib. xxiii. *Sagittarii funditoresque & velites etiam quorum inhabile telum ad remittendum imperatis est*. Hæc scripsit Livius de *velitibus*, quos & nominavit aliquot annis priusquam obsidio Capuana cœpta esset. Ipse quoque Cæsar differentiam statuit inter *levem armaturam*, ac funditores sagittariosque. Ut lib. iii. de bello civili: *Primum sagittariis funditoribusque circumjectis, postea levis armatura magna multitudine missa*. Quod & alibi apud eum reperitur. Et apud Hirtium de bello Africano: *levem armaturam, sagittarios funditoresque eodem submittit*. Hæc opponitur gravi armaturæ. In ea igitur omnia eadem, nisi quod leviora. *Leves* igitur & *levis armatura* de jaculatoribus quales fuere *velites*. Hi enim etiam armati, sed levius quam stabile ac scutatumpeditum agmen. Quippe & jacula sive hastas velitares habuere, parmam, galeam, etiam onse accincti erant. Funditores nihil præter fundas habuere, & sagittarii nihil præter arcus. Ita ergo *levis armatura* ac *leves* proprie de jaculatoribus. Hinc ratio apparet, cur Livius lib. viii. *Leves* legionis qui viceni singulis manipulis *Hastatorum & Principum Triariorum*

rumque attributi erant, separaverit ab *Accensis* & *Rorariis* qui extra numerum legionis ac censum adscribebantur. Cum autem *levibus* illis hastam & gæsa attribuit, ex eo etiam perspicuum est eosdem fuisse cum *velitibus*. Nam & his *velitibus* quos nominavit lib. xxrv. etiam antequam obsideretur Capua, dat *telum inhabile ad remittendum imperitis*. Ubi legendum est *imparatis*, pro *imperitis*. Nam tempore opus erat ad corrigendum ferri acumen quod inflexum primo ictu fuerat, & incurvarum. Hoc enim intelligendum. Talia fuere *velitum* jacula ferro ita subtili ac tenui præfixa ut à primo jactu statim inflecteretur. Hinc fortasse *incurvas* vocat *velitum* hastas Valerius Maximus lib. ii. cap. iii. quod facile incurvarentur. Sed probo magis lectionem quam viri docti ex libris excogitarunt, *brevibus & infirmis armatos hastis*. Quod autem tenues & infirmæ tam ferro quam ligno erant ex hastæ tanto facilius crispabantur & coruscabantur in jaciendo. Vide apud Plautum, *Equidem me ad velitationem exerceo. Nam omnia corusca præ tremore fabulor*. Hasta enim levis & infirma ut levis harundo longe facilius tremat & coruscatur, quam firma ac spissa. Et inde nomen Latinum *Crispus* ex Græco *ῥεοςφῶς* quæ hasta velitaris est, unde & *ῥεοσφοράχοι* Polybio *velites*, hujusmodi crispantibus & coruscis hastis armati. Nam O in I Latini mutabant in iis vocabulis quos à Græcis mutuabantur. Ut *ἄνις* *cinis*. Ut autem & de ipso nomine *velatorum*, qui & *velites*, dicamus, Grammaticorum veterum interpretatio non placet, qui sic dictos arguantur, quod inermes ac vestiti tantum exercitum sequerentur. *Velites* non profus inermes fuere, cum ut diximus, & parmam haberent, & septenas hastas, & galeam, & ensen. Et tamen *velites*, quasi *velatos*, à velis nomen habere eos palam est. Omnes quadrati & fluitantes amictus *velorum* nomine appellabantur, ut paludamenta, chlamydes, pallia, & aliæ hujusmodi. Contra rotunda vestimenta dicebantur quæ in imo clausa, strictius corpori adplicabantur, ut erant togæ Romanorum, quæ & ipsæ rotundæ, & ad corpus magis pressæ & coactæ circa imam oram, non undabant neque humeris involitabant ut chlamydes ac paludamenta. Hinc de redundantioribus togis dixit Cicero, *velis amictos non togis*, vel *aulais*, ut in quibusdam legitur. Omnes sane volitantes ac fluitantes in corpore amictus pro *velis*, sed

& vela ferme omnia quadrata, ut & pallia. Unde & muliebria pallia five vela, ricæ, ricinia, flammea & alia hujusmodi, quadrata. *Velites* igitur à velis dicti quia pugnabant cum paludamento five chlamyde brevi in humero fibula adstricta, cætera fluitante. Gravius armati & scutati milites inter pugnandum nihil vestimenti supra loricas habuerunt, *leves* autem isti quales *Rorarii* olim, & postea *velites* cum loricas non haberent, brevibus chlamydibus vel sagulis, quasi velis, in humero adstrictis amicti in prælium vadebant. Inde & *velati* & *velites* dicebantur. De *Rorariis* Lucilius, *Pone paludatus stabat Rorarius velox*. Signanter *paludatum* dixit qui paludamentum habebat amictui, quod alioquin gestamen erat ducum atque imperatorum. Et per *Rorarios* Lucilius potest videri intellexisse *velites* illius temporis, sic dictos, quod ante gravem armaturam prælium committerent, ut ante pluviam ros cadit. Vixit ille post Punicum secundum bellum. *Velites* tunc temporis cum hæc scribebat Lucilius in exercitu Romano pro levi armatura noscitabantur, nec alios *leves* legio agnoscebat. Ergo *Rorarios* eos vocavit Lucilius, quod ante cæteras acies pugnam committerent. Nam hæc ratio fuit eorum nominis, ut Polybius *ῥορᾶριος* & *ῥορᾶριος* eos appellat. Plautus quoque qui etiam vixit belli Punici secundi ævo, *Rorariorum* & *Accensorum* meminit. Ex quo licet colligere *Rorariorum* nomen tunc *velitibus* etiam datum fuisse, qui pars legionis erant. *Accensos* vero præterea in exercitu militasse fundis pugnantes, qui extra numerum legionis habebantur. Cum autem Livius circa annum urbis ccccxv. in pugna Romanorum & Latinorum *Rorarios* in exercitu Romano nominat, & *Accensos* pro levi armatura, *Rorarii* illi velitibus postea dictis similes plane fuere, & idem munus habuere, & fortassean in legionis censu tunc quoque habiti. Nam quamvis præter hos in singulis manipulis gravium militum *leves* videnos fuisse meminerit, *leves* illos eosdem cum *Rorariis* fuisse verisimile est, qui omnes in acie post *Triarios* collocabantur ut inde in primam excurrerent ante signa pugnaturi. Quippe in ipsa pugna meminit tantum *Rorariorum* & *Accensorum*, non aliorum levium. *Accensi* porro si iidem cum adscriptivis fuere, extra legionis numerum erant. *Rorarii* vero, qui in fuere legionis censu, & iidem cum iis, qui

qui postea appellati sunt *velites*. Certe cum Lucilius *Rorarius* facit paludatos, eundem illis habitum assignat, quem Varro *velitibus*, qui de his ita scribit:

Quem sequuntur cum rotundis velites leves parmis,

Antesignani, quadratis multisignibus tecti.

Ubi *multisignia quadrata* vocavit, πολύσημα τετραγώνια. Sic enim absolute pallia quadrata vel chlamydas appellabant. Ε'Φαπίδας has *velitum* Romanorum chlamydes Græcus auctor appellat apud Suidam, οἱ δὲ Φιλοὶ Ῥωμαίων ἐκαστος αὐτῶν εἶχεν ἐφαπίδα καὶ κνημίδα τε καὶ λόγχας, καὶ ἀκόντιον δὲ ὅλας δὲ σιδήρεα πεποιημένον. Idem alio loco, οἱ Ῥωμαίων Φιλοὶ ἐφαπίδας εἶχον καὶ ζώματα περὶ τῶν μηρῶν. *Romanorum velites, habebant amictui chlamydes, & subligacula, feminum tegmina.* Ex eo appellati *velites* vel *velati*. Ita Græci γυμνήτας appellarunt funditores insularum Balearium quia nudi ferme pugnant. Unde & ipsæ eorum insulæ γυμνησίαι nuncupatae. Ipsi *Baliares* voce Latina à jaciendis lapidibus. Nam ex Græco βάλλω antiquum Latinum *Balio* ut ex ἄλλω *salio*. à quo *salus* & *salarius*, ut ab illo *balus* & *baliaris*. *Velites* tales fuisse in legione Romana ex his quæ diximus colligas. Nec certa fides est auctorum, qui volunt institutos primum obsidionis Capuanæ tempore. Recte Nonius Marcellus, *velitem* interpretatur *levem armaturam*, qui non idem dixit de funditoribus, quos certum est, ut & sagittarios, levis armaturæ nomine proprie loquentibus non fuisse comprehensos. Atque hos *velites* cum hoc nomine usque ad commutatam rem militarem in legione mansisse cum *Hastatis, Principibus & Triariis* sequenti capite docebimus.

C A P. XVII.

*Velites in Cafariana militia notos non fuiſſe, ſed hos
Antefignanos appellatos, & hanc legionum
levem tunc exiſtiſſe armaturam.*

Certum eſt, *velites* Cæſaris ævo ac Pompeii, & ſub ſequentibus deinde imperatoribus in exercitu Romano nuſquam fuiſſe hoc nomine. Si qui autem recentiorum eos nominant ut Apulejus, Ammianus & Panegyrici ad Theodoſium auctor, ex antiquis hoc nomen ſumptum ſuæ ætati accommodarunt, oblivioni plane traditum. Livius clare oſtendit, ſua ætate non amplius in uſu fuiſſe *velites* cum dicit lib. xxx. In pugna Scipionis & Hannibalis deſcribenda, *Velitibus, ea tunc. levis armatura erat, vias complet.* Si tunc fuiſſet; non ita loquutus eſſet. Cum idem lib. xxvi. inſtitutorum primo *velitum* mentionem facit in obſidione Capuana, & arma eorum deſcribit, ita *velitarium Haſtarum* meminit, ut de aliis *velitibus* intelligat, quam qui in legione olim fuerunt. *Et ſeptena, inquit, jacula quaternos longa pedes data, præfixa ferro, quale hæſtis velitaribus ineſt.* Sive iſdem *velitibus* has *haſtas velitares* intelligeret, qui tunc primum inſtituti ſunt, rem valde ineptam ac ridiculam feciſſet dicendo, *velitibus*, qui tunc inſtituebantur & armabantur, data eſſe jacula præfixa ferro, *quale hæſtis velitaribus ineſt.* Alio ſigiture designavit *velites*, à quibus haſtas iſtas *velitares* denominavit, & qui tunc vulgo noti, præter antiquos illos militares, quos ætas illa ignorabat. Hi gladiatores fuere haſtis *velitaribus* inter ſe pugnantes. Et de his proſus capiendi ſunt hi Ovidii verſus:

Utque petit primoplenum flaventis arena,

Nondum calfacti velitis hæſta ſolum.

Solum illud plenum flaventis arenæ, nonne circi vel amphitheatri ſolum eſt arena inductum? Ergo & *velites* iſti gladiatorum genus. Iſidorus lib. xviii. inter gladiatores recenſet hos *velites* cap. LVIII. *Velitum pugna*, inquit, *erat, ut ultro citroque tela objectarent. Erat autem eorum varia pugna, & ſpectantibus gravior quam reliqua. Velites autem vocati ſunt, à civitate Hetrufcorum qua Veletes vocabatur.* Immo gladiatores hoc nomine, à
veli-

velitibus militaribus nomen sortiti sunt, quod hastis inter se, quales olim habuere leves legionis pedites, depugnarent. Artemidori quoque de his *velitibus* gladiatoribus locus insignis corrigendus est, lib. II. c. IV. ubi varia genera ac nomina gladiatorum recenset, atque illi capiti *πεὶ μονομαχίας* titulum fecit: *Διμάχαιρος*, ὁ λεγόμενος *Οὐήλης*, ἢ *Πιφάρμακον*, ἢ ἄλλως *κακότερον* ἢ ἄμωρον εἶναι τὴ γυναικα σφαιρίδι. Vulgo legitur, ὁ λεγόμενος *ὀρθήλας*. Cum igitur constet ex his *velites* tunc fuisse gladiatorum genus & appellationem, non amplius ullos legionis *velites* hoc nomine appellatos conjicere ex vero datur. Ideo Varro, cum de *velitibus* antiquis, qui in legione Romana militarunt, loqui vellet, non simpliciter *velites* eos nuncupavit, sed *antesignanos velites*, quia ante signa in ~~ae~~ olim pugnabant. Sic enim versibus quos paulo supra jam citavimus.

*Quem sequuntur cum rotundis velites leves parmis
Antesignani, quadratis multisignibus tecti.*

Livius quoque quodam loco, ut à nobis ante productus est, *velites antesignanos* appellavit, ut eos discerneret à *velitibus* sui temporis, qui gladiatores erant. Enimvero *velites* ab eo tempore recessisse à legionibus Romanis probari potest, quo & *Hastati*, *Principes*, *Triarii*que inde remoti fuere. Cum enim prisca legio in hæc quatuor corpora divideretur, *velitum*, *Hastatorum*, *Principum* ac *Triariorum*, idem exitus commutata militia omnes involvit, ut pariter è legione Romana nomine saltem tenus expungerentur postquam alia ejus divisio introducta est. Non potuere igitur remanere in ea *velites*, unde expuncti sunt *Hastati*, *Principes* ac *Triarii*. Ex his quaternis corporibus cum antiqua legio constaret, ubi in decem cohortes æquales distributa est, tum nomina illa prisce divisionis cessarunt, & antiquata sunt. Ex *Triariorum* ordine qui sexcenti erant, facta est prima cohors sexcentorum militum, sed appellatio *Triariorum* abolefacta est. Ex duobus reliquis ordinibus *Principum* & *Hastatorum* similiter quaternæ cohortes institutæ sunt sexcenariæ, quia singula ea corpora mille ac ducentos habuerunt pedites. Ex *velitum* corpore pariter qui mille ac ducentos pedites constituebant, duæ compositæ cohortes singulæ sexcentorum peditum. Ita septenæ cohortes exierunt ex quaternis ac ducentis illis milibus quibus constabat antiqua legio in *velites*,

lites, Hastatos, Principes ac Triarios dispersita. Sed quia tunc legio fena milia militum accepit, nova illa quæ à Mario introducta est institutione, tres adjectæ sunt cohortes, ut decem fierent, partim ex gravi partim, ex levi, ut verisimile videtur, armatura. Fingamus unam levium fuisse additam, duas gravium armatorum. Sic decem cohortes legionis plenæ extiterunt ex fenis milibus constantis, ex quibus tres fuerunt levis armaturæ. Si velimus duas tantum ex levibus fuisse concinnatas, quot olim *velites* in legione fuerunt, id etiam licet. Conjectare tamen possumus etiam leves aliquos de novo additos. Quod si est, non minus addi potuit quam ex quo una cohors fieret. Ita ergo nomen *velitum* in hac nova legionis institutione abolitum est, ut & *Hastatorum, Principum, ac Triariorum*. Cohortes autem illæ *legium, expedita vel expeditorum cohortes* appellatæ videntur. Harum mentio apud Cæsarem crebra occurrit. Eos etiam vocat *expeditos legionum*. Hirtius in libro de bello Africano: *Qua res Cæsarem non fefellerat. Namque expeditos ex singulis legionibus vicenos milites esse iusserat.* Et paulo post: *Quod ubi Caesar animadvertit, trecentos quos ex legionibus habere expeditos consueverat, ex proxima legione qua eo pralio in acie constiterat jubet equitatus succurrere.* Cæsar ipse *expeditos antesignanos* appellat, lib. III. de bello civili: *Huic suos Caesar equites opposuit, expeditosque antesignanos admiscuit C. D. qui tantum proficere, ut equestri pralio commisso, pellerent omnes, compluresque interficerent, ipsi incolumes se ad agmen reciperent.* Item paulo post eodem libro: *Superius tamen institutum in equitibus, quod demonstravimus servabat, ut quoniam numero multis partibus esset inferior, adolescentes atque expeditos ex antesignanis electos milites ad perniciatē armis inter equites praliari juberet.* Ob eandem hanc causam *velites* in obsidione Capuæ institutos ab auctoribus traditur. Et *expeditos* quidem vocat Cæsar, quia hoc proprium semper nomen fuit *velitum* ac levis armaturæ. Festus in verbo advelitatio, *Velites dicuntur expediti milites, quasi volites, id est, volitantes:* Absolute *expediti* dicuntur Livio lib. XXII *Levis armaturæ milites.* *Successit tamen Pænus cum expeditis equitibusque atque ad laceſſendum hostem raptim & procurſando recipiendoque sese, pugnare.* Ita ibi scribendum, non *expeditis equitibus*, ut vulgo editur. Ita enim vetustissimi libri legunt. Idem paulo post.

post. *Adversus eos tribus milibus cum expeditis auxiliis* à Scipione missis, id est, levium armorum auxiliis, ut alibi vocat. Ammianus Marcellinus lib. XVIII. *velites expeditos* appellat. Vegetius lib. III. cap. XVI. *Quod si equites impares fuerint, more veterum velocissimi cum scutis levibus pedites ad hoc ipsum exercitati iisdem miscendi sunt, quos expeditos & velites, quasi volitantes nominabant.* Eo loco tamen explicatos libri veteres legunt. ἐξολήκτους vocat Leo in Tacticis Latina voce pro *explicitis*. De quibus nos alibi. *Expediti* sunt quos Græcè Polybius ὀζώρας appellat, cui hoc nomine levis armatura *velitum* sæpe nuncupatur. Eos *expeditos* ex *antesignanis* electos à se dicit Cæsar, ubi *Antesignanos* appellat totum corpus levis armaturæ legionariæ quæ *velitum* appellatione olim noscitabatur, quod ante signa pugnarent, id est, ante legiones peditum instructas, quæ *signorum* nomine plerumque apud auctores censentur. Non alia porro *Antesignanorum* notio & appellationis ratio eo tempore quam de levis armaturæ peditibus, ita dictis quod ante signa præliarentur. *Expeditos Antesignanos* nominat eos Cæsar, ut olim *expediti velites* dicebantur, quorum in acie hoc etiam munus olim fuit perpetuum ut ante signa pugnam inciperent, & inde nomen. Sed *velites* nuncupati sunt ab habitu in antiqua militia, in nova autem *Antesignani* à pugnandi loco, quia cum *velitum* nomen de gladiatorum quodam genere usurpabatur, ut dixi, qui *velitaribus* armis depugnabant. Extremis etiam imperii temporibus levis armatura *velitum* ante signa pugnam inibat. Auctor Panegyrici ad Theodosium, *Ecce lux tandem. & jam omnis campus horrebat, divisi in cornua equites, leves ante signa velites, dispositæ manipulatim cohortes, & gradupleno ferentes agmina quadrata legiones.* Sed *velitum* nomen non fui temporis ab antiquis sumplit mutuo, ut & *quadratas illas legiones, & manipulatim dispositas cohortes.* Nam olim manipulatim aciem Romani instruebant, cum legio dividebatur in *Hastatos, Principes & Triarios*. Posteaquam vero in decem cohortes distribui cœpit, per cohortes ordinata est, non ut iste dicit *manipulatim*; qui in re nova explicanda verbis antiquæ ordinationis καρχήλων usus videtur. Inde ergo & *Antesignani velites* Varroni, nomine antiquo simul & novo. Cur *Antesignani*? Quia nimirum ante signa pugnabant, nempe ante signa legionariorum.

riorum. Sed an non & ipsi signa habuerunt? Certe de antiquis *velitibus* diximus signa eos propria non habuisse. Sine signis, sine ordinibus vagè & passim ante aciem dimicasse. Sed postquam forma legionis immutata est, tum & in cohortes ipsi cum reliquis legionariis dispersiti, signa habere cœperunt, sive potius vexilla. Cum igitur ad hostes lacessendos & provocandos præmittebantur, sub vexillis ibant. *Antesignanorum* porro Cæsarianorum & *velitum* antiquorum omnes notæ communes. Ex eodem Cæsare liquet, hoc genere pugnae solitos uti illius ævi legionum *Antesignanos*, ut si terga dare cogerentur, se ad signa legionum reciperent. Primo impetu procurrerant, audacter locum capiebant, ordines suos non magnopere servabant, rari dispersiq; pugnabant. Si premerentur, loco excedere, & pedem referre non turpe existimabant. Hæc omnia de *Antesign.* narrat Cæsar lib. i. de bello civili. Quis nescit qui Polybium legerit hæc omnia fuisse consueta *velitibus*? Is lib. ix. de pugna Scipionis contra Hasdrubalem ita scribit: τῶν δ' εὐζώνων ἀπὸ τοῦ λυγροῦ καὶ πύρροντος ἡ συμπαροκὴ διὰ τὰς πεζομάχους καταφεύγοντας ἀπὸ τῆς ἰδίας φάλαγγος ἐκ μεταβολῆς κινδυνεύει. Hæc verba significant, *expeditos*, id est *velites*, solitos procurrere & recurrere per vices, & si quando premerentur ab hoste, ad signa legionum refugere. Inter equites præliabantur *Antesignani*, ut ex eodem Cæsare multis locis constat: nec ex paucis Polybii locis exploratum est *velites* equitibus admixtos pugnasse. Quod & ex illa ipsa pugna Scipionis cum Hasdrubale commissa & à Polybio descripta certo certius colligitur. Apud Cæsarem lib. iii. de bello civili, *Adolescentes atque expediti ex antesignanis electi milites inter equites præliantur*. Adolescentes ergo erant illi *Antesignani* legionum, quod & de *velitibus* antiquis verum esse nemo ignorat. Nam maxime juvenes deligebantur qui *velitum* in legione numero adscriberentur. Apud Hirtium lib. iii. de bello Gallico, *Levis armatura pedites ante legiones missi turmisq; equitum interpositi constanter præliantur*. Tam *velites* veteres, quam *Antesignani* Cæsariani levis armaturæ pedites erant, & inter equites præliabantur. *Antesignani* ex eo appellati quod ante signa, id est, ante aciem sub signis instructam pugnarent. Hoc etiam proprium *velitum* fuit ante signa pugnare. Livius lib. xxxviii. de pugna Manlii adversus Gallo-Græcos: *Quod ubi Romani viderunt, expediunt se*

*se ad pugnam. Ante signa modico intervallo velites erant, & ab At-
salo Cretenses sagittarii, & Thralli Thracæ. Signa peditum, ut per
arduum, levi gradu ducuntur, ita præ se habentium scuta, ut missilia
tantum vitarent, pede collato non viderentur congressuri. Vides ve-
lites, id est levem armaturam legionum cum levi armatura auxi-
liorum ante signa esse. Unde ergo Antesignani postea dicti, qui
antea velites, nisi hinc? Post velites qui ante signa ibant, sequuntur
legionum signa. Ea fuere prima signa legionum, ut paulo post se-
quitur. Prima autem signa legionum eo tempore, fuere signa Ha-
statorum. Non ergo, ut placuit doctis, Antesignani iidem cum Hastatis.
Nam Hastati prima signa legionum erant. Velites autem ante
illa prima signa procedebant, qui revera Antesignani erant, & po-
stea hoc nomen nacti sunt, omisso velitum nomine. Ubicunque
igitur Antesignanorum apud Livium mentio occurrit, de velitibus hi
sunt intelligendi, qui ante signa procurrebant, & quos ita ea ætas
appellabat, obliterata velitum appellatione. Expendamus nunc
aliquot illius auctoris locos, ubi Antesignanos nominavit, ut con-
stet quo sensu sic eos appellavit. In illo ipso libro, ubi pugnam
Manlii in Gallo-Græcos describit, cum prius velites ante signa ire
scripisset, paulo post eos ipsos velites, Antesignanos legionum vo-
cavit: *In eos qui portas stationibus suis clauserant, legionis Antesignani
pila coniecerunt. Quinam isti legionis Antesignani, nisi illi
velites, quos ante signa collocatos paulo ante dixit? Non alii le-
gionum Antesignani accipi possunt, quam velites, qui & legionum
pars erant, & ante signa legionis soliti erant dimicare. Etiam
Cæsar legionum Antesignanos appellat, quia certo numero in le-
gionem conscripti habebantur, lib. i. de bello civili: Hoc sperans
legiones tres ex castris educit, acieque in locis idoneis instructa, unius
legionis Antesignanos præcurrere, atque occupare eum tumultum ju-
bet. Valde autem probabile est, non alia notione eam vocem
Antesignanos usurpasse Livium, quam quomodo ætate Cæsar's &
sua, quod idem sæculum erat, sumi solebat. Cum autem idem
Livius eo libro tam clare & diserte Antesignanos vocaverit, quos
paulo ante, velites ante signa euntes nominarat, vix credibile est
aliis in locis alio significatu id vocabulum posuisse. Idem lib.
xxxiii. Antesignanos vocat, velites Romanos qui primi hostibus
in prælio occurrerunt: Marcellus Pado confestim trajecto, ubi In-**

subres Comensibus ad arma excitis castra habebant, legiones in ipso itinere praelium committunt, & primo impetu adeo acriter invaserunt, ut Antesignanos impulerint. Id est eos expeditos & levis armaturæ pedites, sive *velites*, qui ante signa pugnandi gratia procurrebant. Idem clare lib. xxiiii. levem armaturam Pœnorum hoc nomine *Antesignanorum* impertit his verbis: *Primo Antesignani Pœnorum, deinde signa perturbata. Postremo tota impulsæ acies.* Quid clarius? Certum est levem armaturam primam omnium pugnasse, & ante signa prima sive aciem primam. Ecce igitur *Antesignani* Pœnorum, primo perturbati, quia primi pugnabant, *deinde prima signa.* Postremo tota acies impulsæ. Eodem libro disertè levem armaturam Romanorum, id est *velites* ante signa demicasse scribit: *Prima levis armatura Romanorum præoccupatum inferiore loco succedens tumultum pulsa detrusaque terrorem in succedentem intulit equitem, & ad signa legionum refugit. Peditum acies inter percussos impavida sola erat, videbaturque si iusta, aut si recta pugna esset, haudquaquam impar futura.* Ecce ante aciem peditum, & ante ipsa signa legionum prima levis armatura, id est *velites*. Succedebant equites. Deinde legionum signa, & peditum acies. Ergo, prima illa levis armatura *antesignanorum* haud dubie fuit. Cum igitur in eo auctore legimus in ordinatione aciei describenda *peditum partem ante signa locatam, partem post signa receptam*, pedites illos ante signa locatos, non alios interpretari par est, quam *Antesignanos*, sive *velites*, qui ante signa locati primi cum hoste concurrebant. Sic lib. xxiii. pugnam Asdrubalis cum Romanis describens, *Romanorum aciem triplicem stetisse* perhibet, *peditum parte ante signa locata, parte post signa accepta, equites autem cornua cinxisse.* Quomodo triplex stetit, si pars peditum ante signa locata est, pars post signa accepta? Hæc duplicem tantum aciem notant, in *antesignanos* & *postsignanos* dispersitam. Immo triplex stetit, per *Hasstatos, Principes & Triarios* ordinata. Sic enim capienda sunt ejus verba. In illa triphci acie designanda certum est *velites* ab eo comprehensos non esse. At eos alia divisione complexus est, cum dixit, *partem peditum ante signa locatam, partem post signa acceptam.* Pars ergo ante signa locata, *velites* fuere: pars post signa accepta, reliqua peditum acies trifariam divisa in *Hasstatos, Principes, & Triarios.*

Utram-

Utramque divisionem complexus est, unam qua triplex Romana acies designatur, ratione *Hastatorum*, & *Principum* & *Triariorum*: alteram qua duplex, ratione *Antesignanorum* id est *velitum*, ac reliquorum peditum qui *postsignani* dicebantur, quod post sua signa ordinarentur, quæ & sequi debebant. Idem Livius manifestè hoc ita esse declaravit lib. xxxi. his verbis: *Post nova de integro pugna exorta est, non illa ordinata, per Hastatos, Principes & Triarios*. His triplex notata est. Sequitur: *nec ut pro signis Antesignani, post signa alia pugnaret acies*. Ita enim ibi legitur in vetustissimo libro, *Antesignani*, non *Antesignanus*. Hæc duplicem designant, ex levi armatura *Antesignanorum* sive *velitum* constructam, & ex gravi armatura *Hastatorum*, *Principum* & *Triariorum*. Hi omnes gravem armaturam constituebant, ex qua vulgo triplex acies tunc temporis componi solita. *Antesignani velites*, quæ levis armatura, partem alteram construebant, in qua veluti prima acies consistebat. Sic enim Livius significat lib. xxxviii. de pugna Manlii contra Gallogræcos, primam aciem ex levi armatura instructam. *Consul*, inquit, *prima in acie locata levi armatura*. Hæc levis armatura est quam eodem loco *velitum* nomine *ante signa* pugnantium designavit, & *Antesignanorum*. Idem lib. xxx. in pugna Cannensis descriptione primam aciem ex jaculatoribus & cæteris levium armorum auxiliis factam in exercitu Romanorum tradit. Sic enim ibi legendum ac distinguendum: *Atque ita instructa acie in dextra cornu; id erat propius flumen, Romanos equites locant, deinde pedites. Lavum cornu extremi equites Sociorum, intra pedites ad medium juncti legionibus Romanis tenuerunt. Ex jaculatoribus & cæteris levium armorum auxiliis prima acies facta*. Nec recta lectio est in vulgatis, nec interpunctio. Jaculatores illi ex quibus factam primam aciem dicit, *velites* Romani fuere, quos *ἀντισηναι* & *μετ' ἀντισηναι* appellat Polybius. His adjuncta levis armatura auxiliorum. In ipsa prælii commissione narranda, quomodo primam illam aciem intellexerit, satis clare aperuit cum ita scripsit: *Clamore sublato procursum ab auxiliis, & pugna levibus primum armis commissa*. Nimirum ordinariam & sollemnem in præliis *velitum* & levis armaturæ procursionem factam significat. Alioquem potuisset quis opinari novo & inusitato more, quæ prima debebat esse acies peditum gravis armaturæ, levem armaturam

& *velites* locum ejus obtinere jussos. Post hanc primam levium armatorum procursionem, equites in certamen inducit, deinde peditum pugnam subsequi facit. Qui ordo tum perpetuus fuit certaminum acie instructa faciendorum. Levis armatura principium edebat, & primam pugnam laceſſebat. Post eos invehantur equites. Post equestre certamen, pedites prælium inibant, id est *Hastati, Principes & Triarii*. Sic lib. xxxi. *Principio levem armaturam dimittis, deinde conferto agmine mittit equites, postremo cum hostibus quoque subsidia mitti videret, instructis legionibus procedit.* Livius eodem lib. xxx. postquam dixit in pugna Cannensi procursum clamore sublato ab auxiliis, atque levibus armis pugnam primum commissam, addit equites frontibus adversis concurrisse, & *sub equestris finem certaminis coortam esse peditum pugnam*, Polybius eandem pugnam describens pro illis Livianis, è *jaculatoribus & cæteris levium armorum auxiliis prima acies facta est*, hæc Græca posuit, *πρὸς τῆς δουρῶντος περὶ τὸς εὐζώνους ἐν δόρυς*. Id est ante aciem universam cum intervallo constituit *velites*. Quibus verbis adjunxisse videtur Livius ἡσυχίᾳ τῶν συμμάχων quasi continenter præcedentibus adtexta, quæ tamen ad sequentia pertinent quibus continetur numerus peditum Socialium & legionariorum qui in exercitu Romano erant. Quæ sic juncta Livius accepit de jaculatoribus Romanis, & cæteris levium armorum auxiliis, è quibus primam aciem factam ait. Polybius simpliciter ante aciem eos constitutos dicit. Quo sensu & *πρὸς τὸς συμμάχους* sæpe appellat, & *πρὸς τὸς ἐπὶ τὸν ποταμὸν*, ut ante notavimus. Ante aciem constitui & ante signa eadem significatione dicitur, de equitibus, elephantis, & *velitibus*, sive levium armorum peditibus, de quibus omnibus aliquando sic primam aciem factam esse auctores scribunt. *Πρὸς τὸν δουρῶντος & πρὸς τὸν ποταμὸν* idem est. Quia ante signa pugnare solebant *velites*, inde etiam *antesignani* vocati Cæsaris temporibus. Atque sic etiam loquutus est Livius, qui totam aciem in duas partes propterea divisit, in *Antesignanos & Postsignanos*. Ut illi primam aciem constituerint, isti secundam. Ut prima acies è levi armatura *velitum* fuerit constructa, secunda immo & tertia & quarta, è gravi armatura reliquorum peditum. Sane legio Romana in *levem armaturam* quæ *velitum* olim erat, & *gravem* divisa est. An eadem divisio & instructio in antiqua militia obtinuerit

rit videndum. Ita sane videtur Livius sensitisse. Quod multo magis de acie sui temporis potuit existimare, quam de illa prisca quomodo Scipionum ævo parari & instrui solebat. Nam Livii ætate levis armatura quæ *Antesignanorum* nomine tunc appellabatur, quadamtenus ordinabatur ante signa legionum, & sub vexillo proprio incedebat. Præterea ordines etsi non magnopere servabat, ut ait Cæsar, utcumque tamen servasse vel inde apparet. At *velites* antiquæ militiæ, qui ordines non habebant, nec signa, nullos eos in totum servabant, nec hæc sequebantur, quia utriusque carebant. Cum enim solerent ἐκ μὲτ' ὁδοῦ, id est vicibus procurrere ac recurrere, non ordinatim sed passim excursions eos fecisse inde manifestum est. Denique cum Polybius scribat ἐν δασύῳ eos collocatos ante aciem fuisse, id est satis magno intervallo ab acie prima remotos, nullum definitum habuisse eos constat spatium quousque excurrerent. At *Antesignani*, sive levis armatura temporum Cæsar's veluti ordinata stetit intra certum spatium, in quo consistens hostem ingruentem expectabat. Quod etsi non semper observabatur cum id ex ducum arbitrio penderet, sæpius tamen id factitari solitum Sallustius docet, in libro de bello Catilinario, ubi pugnam inter Catilinam, & Antonium commissam memorat: *Postquam eo ventum est, unde à ferentariis prælium committi posset, maximo clamore infestis signis concurrunt, pila omittunt, gladiis res geritur. Veterani pristina virtutis memores comminus instare.* Ferentarios fuisse prisco vocabulo, levis armaturæ milites, non docendi sunt, qui sciunt. Et jam supra quales fuerint exposuimus. Quo tempore scripsit Sallustius, non id nominis habuerunt, sed *Antesignani*, ut dixi, vocabantur. Hoc ille Catonianum vocabulum cum cæteris usurpavit. De acie Antonii illa verba posuit auctor. Is in fronte veteranos locaverat. Ergo ferentarii ante eos locati, qui primi prælium commiserunt, infestis signis. Post eos veterani qui primam aciem constituebant, comminus institerunt, pristina virtutis memores. Et notandum *ferentarios* illos signis infestis concurrisse. Ergo sub signis illi, & in ordinibus, ut non male prima acies de his fieri & dici posset. Secus de antiquis *velitibus* qui inordinati & incompositi, & sine ullis vexillis ad prælium committendum vagi disperisque ibant. Et tamen Livius *primam aciem* eos fecisse vult

in

in pugna Cannensi. Quod & alibi in aliis describendis præliis dixit. Atqui id pugnat manifesto cum eo quod scripsit de acie Scipionis contra Asdrubalem in Africa directâ, triplicem eam fuisse, parte peditum ante signa locata, parte post signa accepta. Si illi qui ante signa erant positi pedites, ex vero nomine *Antesignani*, primam aciem faciebant, levis nempe armaturæ pedites, eum non triplicem sed quadruplicem eam fuisse oportet. Nam triplex fuit per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios*. Quibus adde & primam ex *velitibus* constantem, quadruplex sane sic fuerit necesse est. Quibus in locis primam aciem tribuit levium armorum peditibus, vereor ne Græcum auctorem, quem tunc sibi imitandum proposuerat, sequutus sit, qui *προῤῥαξιν* appellavit, levīs armaturæ in acie locationem. Sic enim Græci Tactici nuncupant & definiunt *προῤῥαξιν* esse τὸ ψαλῶν, ὅτι τῶν ἄλλων ἔτι ἐν τῷ πολέμῳ *προῤῥαξίῳ*: *Levis armatura præordinationem cum ante alios in pralio ordinatur*. *Προῤῥαξις* proprie non est prima acies, vel prima ordinatio, id est *πρώτη τάξις*, sed *πρὸ τάξεως τάξις*, id est ordinatio quæ fit ante eam cui vere nomen ordinationis competit. Ut ecce phalanx Græcis legitima est peditum ordinatio sive *τάξις*. Cum levium armorum pedites ante hanc phalangis *τάξιν* instruitur, tunc *προτάξις* existit. Inde *προτάκται*, *velites* dicti, qui & *Antesignani*. His oppositi *ὑπίτακται*, id est *postsignani*. Plutarchus in vita Syllæ *ὑπίτακτους* appellat quos Frontinus *postsignanos*, qui sic opponuntur *Antesignanis*, ut *ὑπίτακται πρὸς προτάκταις*. Nam ut *προτάκται* ante aciem & prima signa locati dicuntur, ita *ὑπίτακται* sunt qui post aciem locantur. Quicumque post primam aciem in directum collocati sunt, ut solent locari subsidia, *ὑπίτακται* vocantur. Subsidiariæ acies ita etiam Græce appellari recte possunt. *Postsignanos* ita vocavit Frontinus, qui *ὑπίτακται* Plutarcho, de aciei Syllanæ ordinatione contra Archelaum. Sed locus Frontini cum vulgo corruptissimus sit, ut emendandus est visum hic eum adscribere, ex lib. II. cap. III. *Triplicem deinde peditum aciem ordinavit, relictis intervallis, propter levem armaturam, & equitem quem in novissimo collocaverat, ut cum res exegisset, emitteretur. Tum Postsignanis, qui in secunda acie erant, imperavit, ut densos numerosque palos firme in terram defigerent. Intra eos appropinquantibus quadrigis, Antesignanorum aciem recepit. Tum demum sublato univer-*

universam clamore velites & levem armaturam ingerere tela iussit: quibus factis quadrigæ hostium aut implicite palis aut exterrita clamore telisque in suos conversa sunt, turbaveruntque Macedonum instructuram. Archelaus adversus Syllam ad perturbandum hostem in fronte locaverat falcatas quadrigas, ut ibidem Frontinus scribit. Hæc prima Archelai acies, sive *æstatis* potius. Nam subsequēbatur ipsa phalanx vera ac legitima *mægis*, quam cum idem Frontinus secundam statuat fuisse aciem Archelai, inde patet falcatas quadrigas in fronte locatas pro prima posuisse acie. Eundem usum præstabant falcatæ hæ quadrigæ in bellis quem & elephanti, qui & ipsi in fronte collocari solebant ad perturbandos & perrumpendos hostium ordines. Eundem nimirum locum in acie tenuerunt quadrigæ Archelai, quem alias obtinere solebat levis armatura. At eam tunc in ultimo collocaverat. Elephantos in fronte sic positos, *ante signa locatos* dicit Livius lib. xxxiii. *Elephantis ante signa instructis.* Hic etiam locus *Antesignanorum* sive *velitum* ac levis armaturæ. Contra illam triplicem Archelai aciem Sylla & ipse triplicem instruxit, quam Frontinus in *Antesignanos & Postsignanos* eo modo dividit, ut Livius pugnam Scipionis contra Asdrubalem triplicem fuisse memorat, *parte peditum ante signa locata, parte post signa accepta.* Dicit idem Frontinus Syllam imperasse *postsignanis*, qui in secunda acie erant, ut palos densos ac numerosos in terram defigerent. Cum *postsignanis* secundam aciem assignet, apparet *Antesignanis* primam tribuisse. Quinam illi *antesignani*? An *velites* ac levis armatura? Ita omnino videtur. Nam ut *æstatis* & ante signa constituti, debuerunt primi occurrere quadrigis quas in fronte collocaverat Archelaus. Hi retro cedentes per intervalla *postsignanorum*, quæ ad hoc inter manipulos reliquerat Sylla, viam dederunt quadrigis, qua progredierentur intra aciem Romanam. Sic intra palos quos curaverat defigendos opera *postsignanorum* perductæ sunt. Quo facto, clamore ab universis sublato, ipsi illi *antesignani*, id est *velites* qui appropinquantibus cesserant quadrigis atque intra palos se receperant, ut eo perducerent currus falcatos Archelai, tela in eos ingesserunt, quibus retro acti partim, & partim clamore exterriti, aut induerunt se palis, aut in suos conversi sunt, ac turbaverunt phalan-

langiâ Macedonicæ ordines. Et cedenti cum Sylla instaret, Archelaus Syllæ equitem opposuit. Sed Sylla Romanos equites, quos in ultimo constituerat, per intervalla ordinum emisit, qui cum avererent, & victoriam consummarent, *Antesignani* igitur, si forte, Frontino iudem cum *velitibus* ac levi armatura, quorum hæc perpetua fuit ordinatio ut ante signa locarentur. Si ita sunt apud eum accipiendi, omnia recte se habent. Sed videtur eos à *velitibus* ac levi armatura distinguere, dum sic scribit: *Intra eos appropinquantibus quadrigis antesignanorum aciem recepit, tum demum clamore sublato, velites & levem armaturam ingerere tela iussit.* Satis clare in his videtur discernere *Antesignanorum* aciem à *velitibus* ac levi armatura. Cur autem *velites & levem armaturam* dixit, cum *velites* levis armatura eorum temporum fuerint? Fortassean ita posuit ἐξῆνληκας, quia suo tempore nulli amplius *velites*, ideo addidit, & *levem armaturam*. Hæc exempla à Græcis auctoribus apparet sumpsisse Frontinum. Sylla in ea acie contra Archelaum subsidiarias cohortes posuerat quas Græcus auctor à quo sumpsit Frontinus, *Προάκτας* vocabat. Sic enim & Appianus appellavit. *Postsignanos* Latine reddidit Frontinus. Ergo acies quæ ante eos pugnavit, ἡ προάκτων fuerit. Hæc prima acies extitit. *Antesignanorum aciem* idem reddidit Latine. Quæ divisio totius aciei προάκτων & Προάκτων potest in *antesignanos* & *postsignanos* Latine appellari. Sed προάκτων, sive *antesignani* proprie de *velitibus* ac levi armatura, non cum primam aciem faciunt, sed cum ante primam aciem pugnant. Tunc omnes acies peditum gravium à tergo eorum collocatæ *Postsignanorum* nomine venire possunt. Verum hæc divisio, ut dixi, Cæsariorum potius temporum fuit, quam antiquiorum, cum in *Hastatos*, *Principes*, & *Triarios*, triplex acies introrsus statuebatur. Nam si *Antesignanorum* aciem, qui *velites* erant, pro prima ponas, non triplex, ut dixi, inde exhibit acies, sed quadruplex. Præterea non vera acies eorum fuit nec μέγας, qui nec ordinem servabant in pugnando, nec signa ulla sequebantur. Mutata militiæ ratione, levis armatura *antesignanorum* & signa habuit seu vexilla, & quasi iusta acie depugnavit ante signa graviorum peditum. Livius igitur dum *Antesignanos* in antiqua militia nominat, ac per eos & *postsignanos* acies instructas memorat, ad morem sui temporis respexit,

xit, & novum cum antiquo confudit. Sed qui tot locis, quos supra adduximus *Antesignanos* quoque pro *velitibus* posuit, idem lib. xxvii. videtur planissime eos à *velitibus* distinguere his verbis, quibus exponit pugnam Scipionis cum Asdrubale prope Bætulam urbem, de Asdrubale ipso loquens: *Pro castris equitum stationes habebat. In eas velites antesignanique, & qui primi agminis erant advenientes ex itinere, priusquam castris locum caperent, adeo contemptim impetum fecerunt, ut facile appareret quid utrique parti animorum esset.* Cum *velites* ibi ab *Antesignanis* separare videatur, eosdem tamen *Antesignanos* à primi agminis militibus apertè discernit. Primum agmen siquidem in itinere agendo respondet primæ aciei in exercitu ad pugnam instructo. Eodem quippe ordine quo pugnabant in acie, incedebant in agmine. Primum agmen, & prima signa *Hastatorum* fuere, tam in acie, quam agmine. Qui ante ea signa prima pugnam inhibant *Antesignani* appellati, quæ levis erat armatura nomine *velitam* tunc temporis nuncupata. Cum igitur in illis verbis Livius *antesignanos* à *velitibus* alios faciat, certe quos alios intellexerit nescio præter *velites* eo præsertim tempore qui ante signa pugnabant. Quos hic *velites antesignanosque* appellavit, paulo post *expeditos* vocat, id est *velites*, ut ipse alibi appellat, Græci *ὀζῶντες*, ut fere semper Polybius levis armaturæ milites nuncupat. Ipse *expeditos*, inquit, qui pridie stationes hostium pepulerunt, ad levem armaturam in summo stantem supercilio ducit. An per *Antesignanos*, levem armaturam, Sociorum vel auxiliorum intellexit? Nam levi Romanorum armaturæ nomen fuit *velites*. Alio loco *levia arma auxiliorum* appellat, quos hic *antesignanos* à loco ordinationis. Polybius in eadem pugna describenda, cum *velitibus* id est *ῥεοσφομάχοις* jungit τὰς ὀπλίτας ἢ πεζῶν, id est extraordinarios pedites. τὰς ἢ ῥεοσφομάχους ἢ τὰς πεζῶν τὰς ὀπλίτας ἐξάφνης ἐκέλευε προσβάλλειν πρὸς τὸ φρού. *Velites autem, atque ex pedibus extraordinarios emisit, quibus imperavit, ut in supercilio stantem hostem aggredierentur.* Potuit videri Livius eos extraordinarios pedites appellasse *Antesignanos*, quia sæpe in prima acie pugnabant, & cum duce ipso ante signa. Non tamen illi *Antesignani* dicti, nec dicendi nisi siquando ante signa pugnarent. Atqui quibus hoc nomen datum est, videntur proprium illud habuisse, etiam extra aciem & ordines. Hinc *Antesignani legio-*

num Cæsari. Sed omnino in illis Livianis scribendum est: *In eas velites antesignani, & qui primi agminis erant.* Ita vocat *velites antesignanos*, ut Varro illis versibus quos supra adduximus. Quia enim *velites* eo tempore noti non erant in militia, sed pro iis *Antesignani* dicebantur qui iis successerant, ut de *velitibus* qui tunc gladiatores erant, non intelligere se ostenderent, vocarunt eos *velites Antesignanos*, id est militares *velites* ante signa pugnare suetos. Ipse Livius dum suæ ætatis usum respicit, *velitibus* hoc nomen hæsisse in acie instructa testatur lib. x. Cum, inquit, *instructa acies starent, cerva fugiens lupum è montibus exacta per campos inter duas acies decurrit. Inde diversa fera, cerva ad Gallos, lupus ad Romanos cursum deflexit. Lupo data inter ordines via, cervam Galli confixere. Tum ex antesignanis Romanus miles: Illac fuga,* inquit, *& cedes vertit, ubi sacram Diana feram jacentem videtis.* Ubi *antesignani* de his qui ante signa locati sunt videntur accipiendi. Non alii autem illo tempore ante signa locabantur præter *velites*. Unde & *Antesignani velites* Varroni versibus quos supra retulimus. Sed quænam illa signa ante quæ quia locabantur *velites*, *antesignani* appellati sunt? Nempe prima. Hæc *Hastatorum* fuere, qui & primam aciem constituebant. *Πρωτας σημαίας* appellat Polybius, ut *δυνεας Principum*, & *τρίτους Triariorum*. Unde apud eundem Livium *inter prima signa* constitui, & *ante signa* pro eodem ponitur lib. x. *Centurionibus deinde ut pullarios inter prima signa constituerent. Promoveant & Samnites signa. Insequitur acies ornata armataque ut hostium quoque magnificum spectaculum esset. Priusquam clamor tolleretur concurrereturque emissò temere pilo pullarius ante signa concidit.* Ecce pullarius inter prima signa constitutus, priusquam se moverent acies, & concurrerent, pilo iactus ante signa concidit. Si *Antesignani* porro ab eo dicti quod ante prima signa quæ *Hastatorum* erant, collocarentur, certe & *Postsignanos* ex eo nomen invenisse oportet quod post eadem prima signa *Hastatorum* ponerentur. Sed incertum est utrum ipsi *Hastati* qui post sua signa locabantur, hoc nomine comprehenderentur, an illi tantum qui post *Hastatos* sequebantur, *Principes* nimirum & *Triarii*. Certe instructum exercitum in duas tantum partes dividunt, in *Antesignanos* & *Postsignanos*. Exceptis igitur *Antesignanis*, ante prima signa constitutis, tam prima
signa

signa *Hastatorum* quam secunda *Principum* & tertia *Triariorum*, eodem nomine *Postsignanorum* comprehensa fuisse oportet. Si *postsignani* omnes in secunda acie siquando acies bipertito dividebatur, prima acies *antesignanis* erit assignanda, id est levi armaturæ. Et sane Livius in pugna Cannensi, & in aliis primam aciem ex jaculatoribus & levi armatura factam tradit. Præter primam aciem, ut ante docuimus, cæteræ omnes quæ subsequebantur, subsidiariæ censebantur, & *Πήτακται*. Ergo prima *προτάκτων* fuit, quia *πρόταξις* ex levi armatura constabat. Polybius ipse *φάλαγγα ἰφιδρείαν* levi armaturæ dixit, phalangem subsidiariam esse atq; *Πήτακταιν velitibus*. Alio loco de Romana acie loquens similiter pedites gravis armaturæ qui antecedentes *velites* subsequebantur, ἰφιδρείαν illis præstare scripsit, & subsidiarios eorum existere, lib. XVII. Οἱ δὲ προκινδυνεύοντες τῷ Ῥωμαίων προσλαβόντες τὴν τῷ πρῶν ἰφιδρείαν ἐκ μεταβολῆς ἐνέκλιντο πρὸς ἱππευαυλίας. *Antesignani Romanorum, legionum subsidis à tergo firmati fronte conversa hostes adorti sunt.* Flaminius in eo prælio quo cum Philippo congressus est, cornu dextrum aciei suæ iussit immotum manere cum elephantis quos in fronte collocarat. Ipse lævo cornu sequi iussit cum levi armatura in hostes inactus est. τῷ δὲ ἐναντίον μετὰ τῷ εὐζώνων ἐπὶ σβαρῶς πρὸς πλεμίοις. *Lævo cornu cum expeditis ferociter in hostem vadebat.* Illi *εὐζωνοι velites* erant, quos & paulo post *προκινδυεύοντες* appellat, quos legiones sequebantur, subsidio ipsis futuræ. Sic *Πήτακται* erant legiones peditum, ipsi autem *velites πρότακται*. Hi *antesignani*, illi *postsignani*. Sed vide desultoriam Livii levitatem, & inconstantiam. Qui multis locis *Antesignanos* vocavit eos qui ante signa & primam aciem quæ ex *Hastatis* constabat, pugnare soliti erant, alibi ipsos *Hastatos* ita nuncupavit. Sic enim diferte in pugna Cannensi describenda eo verbo usus est ad *Hastatos* designandos, immo ut etiam sentio, & ipsos cum *Hastatis Principes*. *Vias patentes inter Manipulos Antesignanorum, velitibus, ea tunc levis armatura erat, complevit.* De folis *Hastatis* hæc à Livio dici putant qui falluntur. Quorsum enim attinebat, mutare intervalla ordinum si inter *Hastatorum* tantum manipulos vias patentes *velitibus* complere voluisset Scipio? Sed & manifeste tam *Principum* quam *Hastatorum* intervalla *velitibus* fuisse com-

pleta à Scipione significat Polybius qui par illa intervalla cedentes ac refugientes *velites*, si validius premerentur, pone aciem universam ut se reciperent mandatum à Scipione scribit. Certe πρώτης σημαίας, *prima signa* appellat solos *Hastatorum* manipulos ad comparisonem sequentium *Principum*, quorum secunda erant signa. Sed paulo post cum dicit, τὰ δὲ διαστήματα τῶν πρώτων σημαίων ἀνεπαλήρωσε παῖς τῶν προπορευόντων ἀνείρεται, eo loco πρώτης σημαίας dixit, tam de *Hastatorum* quam de *Principum* manipulis, respectu *Triariorum*, quorum paulo ante πλὴν πάσης ἀνείρεται appellavit. Præterea tam *Hastati* quam *Principes* unum quasi agmen efficere videbantur, *antepilatorum* appellatione, ut ipse Livius tradit lib. VIII. *Hoc triginta manipulorum agmen Antepilanos appellabant, quia sub signis jam alii quindecim ordines sequebantur.* Enimvero in hac loquutione *ante signa & post signa*, sæpe totam aciem nomine *signorum* intelligi ipse Livius fidem facit qui ita accepit lib. x. *Equites ducibus tribantis haud multo plus hostibus quam suis, ex improvviso ante signa eVecti præbuerunt tumultus:* Ante signa, id est ante aciem. Quod ostendunt quæ sequuntur, ubi *post signa* omnino accipi debet post aciem: *Adversus incitatas turmas stetit immota Samnitium acies, nec parte ulla pelli aut percurrere potuit. Et postquam irritum ineptum erat, recepti post signa prælio excesserunt.* Id est post aciem tam primam quam secundam, post *Hastatos* nempe & *Principes*. Nam eodem illo loco mentionem tantum fecit aciei primæ & secundæ. In prima *Hastati* constiterunt, in secunda *Principes*. *Crevit, inquit, ex eo hostium animus, nec sustinere frons prima tam longum certamen, incrementemque fiducia sui vim potuisset, ni secunda acies jussu consulis in primam successisset.* Adde quod *Hastatorum & Principum* illo ævo proprie pugna, proprie fuit acies. Nam *Triarii* raro ad prælium prodibant, nec nisi extremò casu rebus pæne perditis, & necessitate ultima cogente. Custodiæ castrorum alias deputabantur, ut ex Dionysio constat & Livio aliquot locis. Ut autem ante signa pugnabant *velites*, id est ut solet Polybius dicere, πρὸ ὅλης διατάξεως, *ante aciem*, sic *Triarii* prælium capeßere cogebantur, & post signa dimicabant. Unde & *post signani* forsân appellati, quia postremam aciem claudabant. Præterea soli ex omnibus subsidebant in acie, unde & *subsidia* proprie dicebantur, hoc est ὑπίπτατοι. An reliquæ ergo quæ præ-

præcedebant acies *Hastatorum & Principum æquarum & Antesignani*: Sane id nomen tam de *Hastatis* quam de *Principibus* posuisse Livium probatur & altero ejusdem loco in eo Annibalis & Scipionis conflictu: *Refligentes enim ad manipulos velites, cum viam elephantis, ne obtererentur fecissent, in ancipites ad ictum utrimque conieciabant hastas. Nec pila ab Antesignanis cessabant, donec utrinque incidentibus telis exacti ex Romana acie. Antesignani isti tam Hastati quam Principes intelligendi, qui pilis undique coniectis elephantosex acie exegerunt. Nam Triarios in illa acie pugnasse non legimus. Per solos igitur Hastatos ac Principes res transacta quos Antesignanos vocavit Livius. Sed quomodo intelligemus quod alibi dixit in acie Romana instruenda, partem peditum ante signa locatam, partem post signa acceptam? An partem istam quæ post signa accipiebatur de *Triariis* capiemus? An potius omissis *Triariis* qui raro pugnabant de solis *Velitibus*, *Hastatis*, ac *Principibus* hæc ab illo dicta censebimus? Certe alibi primam aciem *velitibus* dat. Eos ante signa locatos etiam scribit. Ergo isti soli ante signa locati. *Hastati* itaque & *Principes* pro *postsignanis* erunt habendi. Sed quomodo hoc procedet? An post sua signa locatos eos interpretabimur? Præterea eo loco dicit, triplicem stetisse Romanam aciem. At non stabant tunc *velites* in acie, nec ordinabantur, nec sub signis ibant, sed nec aciei nomen merebantur. Cum enim dicit triplicem aciem Romanam stetisse, de solis statariam pugnam capefientibus legionariis id intelligendum, ac de stabili agmine peditum, non de levi armatura qualis *velitum* fuit. Triplicem ergo aciem de *Hastatis*, *Principibus* & *Triariis* omnino eum intellexisse oportet, prætermisiss *velitibus*. In *Antesignanos* igitur & *Postsignanos* totam illam triplicem aciem Romanorum dispertit. Antesignani *Hastati*, & *Principes*, *Postsignani Triarii* soli. Quippe cum scribat triplicem aciem Romanam stetisse & peditum partem ante signa locatam, partem post signa acceptam, de illa ipsa triplici acie hæc accipienda videntur, quam alia divisione bipertita in *Antesignanos* & *Postsignanos* separat. Sed quare Antesignani *Hastati* & *Principes*? An quia ante signa *Triariorum* locati, penes quos præcipua signa legionum, & Aquila ipsa, ut ante diximus? Quid si illi ad castra custodienda relictis fuissent, ut sæpe fieri solitum, quomodo *Hastati* &*

ti & Principes Antesignani quos nulla signa *Triariorum* subsequēbantur? Si Antesignani *Principes & Hastati*, multo digniores hoc nomine *velites* quibus adprimè conveniebat ac præ omnibus, utpote ex more pæne perpetuo tunc & olim ante aciem & signa pugnare consuetis. In aciei instructæ porro divisione aut levis armatura comprehendenda est cum gravi armatura, aut leves, id est *velites*, à gravium armorum peditibus sunt separandi, & inter acies cum iis minime numerandi. Si levem armaturam cum gravi in dividenda in duas partes acie, in *Antesignanos* nimirum & *postsignanos*, comprehendi placet, appellatio *Antesignanorum* non potest competere nisi *velitibus*. Tum omnes subsequentes à tergo acies peditum graviorum, nomine *postsignanorum* erunt donandæ. Sin autem solam gravem armaturam ita dividi oporteat, quia inter acies legitimas non reponendi videantur *velites*, tum *Antesignani* de *Hastatis & Principibus* fuerint intelligendi, *postsignani* de *Triariis*. Non enim aliter possit. Verum ex hac divisione scutorum & gravius armatorum peditum in *Antesignanos & postsignanos*, illud incommodi proveniet, ut diverso respectu omnes iidem videri possint *antesignani & postsignani*. *Hastati* enim erunt *postsignani* suorum signorum. Omnes enim milites post sua signa olim collocabantur. Unde apud Livium, *post signa instruere cohortes*. At iidem erunt *Antesignani Principum*. Rursus ipsi quoque *Principes* suorum signorum omnino *postsignani* poterunt dici, at signorum quæ *Triarios* præcedunt, *Antesignani*. Soli *Triarii postsignani* revera tantum dicendi erunt, suorum nempe signorum. Cum autem nulla post se peditum signa habuerint, utpote qui postremam aciem clauderent, nulla ratione *Antesignani* appellari potuerunt. Atque ita quidem gravis armatura peditum in antiqua militia potuit utcumque dividi in *Antesignanos & postsignanos*, cum tres acies *Hastatorum, Principum & Triariorum* ita sibi invicem subsidiariæ aliæ post alias ordinarentur, ut priores *Antesignani* sequentium à tergo haberi possent. Sed in nova ordinatione nullo modo id fieri dicere licuit, ut acies gravium peditum, eam divisionem in *antesignanos & postsignanos* pateretur. Ita quippe ordinabantur triplici acie, ut altera alteram non sequeretur, sed iunctæ ad latera essent, in dextrum cornu, mediam aciem, & sinistrum cornu divisæ. Nulli igitur hoc modo

do aliorum *Antesignani* dici aut videri potuerunt. In tali itaque instruendi instituto si acies in *Antesignanos* & *postsignanos* dividatur, *Antesignani* non erunt aliter intelligendi quam de levis armaturæ peditibus qui ante signa peditum gravium pugnam inibant. Ostendimus autem in iis quæ superius animadversa sunt, hanc *Antesignanorum* & *Postsignanorum* divisionem recenti ordinationi potius convenisse quæ sub Cæsaribus obtinuit, quam illi veteri quæ Scipionum ævo usurpata est. Livius utramque miscuit. Certe negari non potest quin multa in re militari Romana explicanda turbaverit dum quæ suorum temporum erant cum antiquis per inscientiam confundit. Maneat igitur hoc fixum *Antesignanos* ullorum temporum nec alios fuisse præter levium armorum pedites qui ante signa pugnant.

C A P. XVIII.

De Antesignanis Cæsariana militia, qua levis legionum fuit armatura, & qua in re diversi ab antiqua legionis velitibus fuerint.

Hos etiam alios fuisse ab Antesignanis posterioris ævi.

E A quæ in præcedenti capite explicavimus, abunde ostendunt, *Velites* Polybii ac Scipionum, ac legionum *Antesignanos* Cæsaris eisdem fuisse, eadem arma habuisse & idem manus pugnandi ante signa graviorum peditum, & instructarum legionum. *Antesignanos* vocatos tempore Cæsaris ipse Cæsar indicat qui nunquam aliter appellat, nec *velitum* uspiam meminit, quia hoc nomen, ut dictum est, de quodam genere gladiatorum tum soleret usurpari. Quod autem *Antesignani* tunc appellarentur, ex eo licet colligere divisionem *Antesignanorum* & *Postsignanorum* in acie ordinanda temporum fuisse Cæsarianorum propriam, non anteriorum cum instruebantur acies per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios*. *Velites* autem Scipionum sæculi, & *Antesignanos* Cæsariano ævi eisdem fuisse adeo verum est, ut antiquarius Varro, utroque nomine junctim eos designaverit antiquo & novo, *velites Antesignanos* appellando, quo eos destingeret à *velitibus* circi vel amphitheatri. Ipse quoque Livius ita eos vocavit loco à nobis supra correcto. Utrorumque tamen hæc differentia fuit quod *velites* in antiqua legione sine signis, sine ordinibus pugnant,

B b

bant,

bant, & nullum corpus separatim in legione constituebant, sed æqualiter per cætera corpora distribuebantur *Hæstæorum, Principum & Triariorum*, quorum omnium singuli manipuli certum sibi ex illis numerum attributum habuere. Postquam vero legio in cohortes decem æquales distributa est, ipsi quoque *velites* sub nomine *Antesignanorum* in cohortes separatas redacti, etiam vexilla sua habere cœperunt, haud secus quam reliquæ gravium peditum cohortes. Mutatione autem rei militaris satis tum recenti cum Cæsar scripsit, ut pote quæ à Mario introducta sit, leves legionis Romanæ pristinum adhuc officium servabant ante signa pugnandi. Unde & *Antesignani* vocabantur. Rarius tamen etiam tum id faciebant. Cum enim inter auxilia magnus eo tempore esset numerus levis armaturæ, id est jaculatorum, sagittariorum & funditorum, frequentius iis duces utebantur ad excursiones ante signa faciendas, quibus hostes lacefferentur ac provocarentur. *Antesignani* autem legionum, quæ Romanorum levis erat armatura ad extraordinaria munia plerumque à ducibus mittebantur, cum vel tumultus esset occupandus, aut hostis depellendus ex occupato, aut inter equites præliandum, aut aliquid tale obeundum, in quo pernicitas & velocitas requirebatur. Et cum *expeditos* ipse Cæsar in genere appellet omnes leves pedites ut & Sallustius & Livius quos Græci *ὤζωνες*, istos legionis leves appellat ad discretionem aliorum, *expeditos Antesignanos*. Ut lib. III. *Hinc suos equites Casar opposuit expeditosque Antesignanos admiscui*, C D. Et paulo post, *expeditos ex Antesignanis*. Alibi *expeditas* absolute nominat etiam hostium exercitus, pro levibus, ut lib. VII. de bello Gallico, *Atque ipsum cum equitatē expeditisque qui inter equites præliari consueverant insidiarum causa eo profectum*. Cæsar autem *expediti Antesignani* ex legionum nimirum corpore emissi hoc ipsum munus habebant inter equites ante signa præliandi, ut ex diversis locis ipsius Cæsaris constat. Post Cæsarem sequentium Augustorum imperio, jam toto orbe domito ac Romano facto, & in provincias reducto, & civitate etiam donatis iis provinciis, cum ex omni provinciali milite legiones conscriberentur, paulatim *Antesignanorum* in legione nomen abolitum est. Pro iis *Vexillarii* primo vocati sunt, qui bellante Cæsare *Antesignani* vocabantur. Hi legionis leves & expediti erant, & *vexil-*

vexillarii pro *Antesignanis* appellati, quod non amplius ante signa præliarentur, sed propria vexilla sequerentur, & sæpius à legione sua divisi ac separati arbitrio ducum huc aut illuc quo necessitas videbatur vocare, mitterentur. De quibus paulo post. Fuere adhuc sub Cæsare cum *Antesignani* vocabantur, tria in legione veluti diversa corpora militum, diversis etiam modis armata, haud aliter quam in antiqua legione usus fuit cum in *velites*, *Hastatas*, *Principes* & *Triarios* divideretur. Nam *Antesignani* armati erant ut *velites* antiqui, cum parma & jaculis septenis, & gladio, & sagulo. Præterea fuere & qui hastis in ea pugnarent & qui pilis. Quæ differentia fuit antiquorum *Hastatorum* & *Triariorum*. Hoc etiam discrimen armorum levium & gravium sub sequentibus Cæsaribus aliquandò mansit, cum *Vexillarii* vocati sunt qui antea *Antesignani* appellabantur. Postea in totum exolevit hæc armorum distinctio in legione, præcipue quod attinet ad levem armaturam *Antesignanorum* vel *Vexilliariorum*. Sub Hadriano tamen legiones Romanæ non eos tantum habuisse videntur milites qui hastis pugnarent & qui pilis sed etiam suos leves. Arrianus qui eo imperante vixit, præter *λογχοφόρος* & *κρηττοφόρος*, id est *Hastatos* & *Pilanos*, quosdam etiam *κῆφος λογχοφόρος* nominat. Ab eo tempore nulli proprie levium armorum milites in legione Romana meruerunt, ex civibus delecti. Magna ex parte levis armatura qua in exercitu Romano visebatur, ab *auxiliis* erat, quam exteri reges aut populi fœderati mittebant. Nulli autem ferè tunc temporis inter auxiliares nisi equites, aut levium armorum milites, nempe vel jaculatores vel sagittarii vel funditores. Vegetius lib. II. cap. II. *Nam legionibus semper auxilia tanquam levis armatura in acie jungentur.* Eunapius, *ἡμετέροις καὶ οἷον κῆφοι, Αὐξίλια ἧ οἱ Ῥωμαῖοι τὰ πῶντα τέλη παραγορεύουσιν, τὸ δὲ βοηθείας ὅζον καὶ περὶ τὰς χρείας εὐκίνητον ἔστω παραγορεύουσι.* *Auxiliorum* nomine à Romanis appellari ait levem omnem armaturam. Hinc Festus *Ferentarios*, antiquo hoc nomine Romani leves pedites appellarunt, *auxiliares* interpretatur, nisi potius illa interpretatio sit ipsius Pauli qui eum brevavit. Sed possunt & videri ipsius Festi esse. Nam & ejus tempore vix alia auxilia Romanis nisi levium hujusmodi armorum. Quippe ubi recesserunt à Sociis Latini nominis qui iisdem armis utebantur, non ab exteris aliud *auxilium* genus acceperunt,

runt, nisi levem armaturam. Nugatur igitur Vegetius cum scribit lib. II. cap. II. legionem Romanam propriis cohortibus fundatam non solum gravem armaturam habuisse sed etiam levem, ut funditores, ballistarios. Sic enim loquitur: *Legio autem propriis cohortibus plena, cum gravem armaturam hoc est Principes Hastarios, Triarios, Antesignanos: Item levem armaturam hoc est ferenarios, sagittarios, funditores, ballistarios: cum proprios sibi insitos equites legionarios iisdem matriculis teneat.* Hæc falsissima esse ex illis quæ supra disseruimus liquere cuilibet potest. Aliquando fane & levem armaturam legio in cohortes decem divisa habuit, sed non leviolem nec aliam quam jaculatorum, qui Cæsaris ætate *Antesignani* nominabantur. Nunquam vero legio Romana funditores aut sagittarios aut ballistarios habuit. In prisca militia *Accensi* qui dicebantur funditores erant, sed extra numerum legionis habebantur. Post Hadriani tempora, ut docui, vix ulla in Romana legione levis armatura militavit. Unius exinde formæ legionis cohortes factæ sunt, eo excepto quod in *Hastatos* & *Pilanos*, ut olim vocati, ut tunc dicebant *lancearios* & *contatos* dividebantur. Perverso etiam ordine idem Vegetius cum gravem armaturam legionis recenset, *Principes* primum nominat, deinde *Hastatos*, cum *Hastati Principibus* priores in acie instruenda fuerint quo tempore per *Hastatos* & *Principes* ac *Triarios* ordinabantur. De quibus autem *Principibus* hîc intellexerit palam est ex iis quæ scripsit lib. eodem cap. xv. ubi tractat quemadmodum legionum acies instruantur. *Sed ante signa*, inquit, *& circa signa, nec non etiam in prima acie dimicantes, Principes vocantur, hoc est ordinarii, ceterique principales.* Hæc erat gravis armatura, qui habebant cassides. Paulo post scribit, *Prima acies Principum, secunda Hastatorum armis talibus docetur instructa.* Triâ igitur hæc genera sunt ex quibus primam aciem instructam fuisse vult, quæque gravem armaturam constituiebant, *Principes, Hastati, & Antesignani.* Et per *Principes* intelligit, ut ipse explicat, *ordinarios*, hoc est primorum ordinum ductores, sive *πρῶτοι*. Quam diversi hi *Principes* fuerint ab antiquæ aciei *Principibus* qui post *Hastatos* collocabantur in secunda acie, & ante *Triarios* qui tertiam faciebant, neminem latere potest, rerum Romanarum veterum paulo peritiosum. Certe *Principes* etiam vocabantur qui primi pugna-

pugnabant & in primis ordinibus, quos Græci λοχαγὸς appellabant, & πρῶτος. Nam in militia Græca primus ordo aciei constabat ex λοχαγοῖς sive ordinum ductoribus, quos ideo πρῶτος vocabant, Latini *Principes*. Glossæ veteres: *Principes*, πρῶτος. Apulejus in libro de Mundo qui in Græco sunt λοχαγοὶ & ταξίαρχοι *Principes* Latine reddidit. Sic enim Græca: καθίσταται δὲ εὐθὺς ὁ μὲν λοχαγὸς εἰς λόχον, ὁ δὲ ταξίαρχος εἰς τάξιν, ὁ δὲ ἱππῶς δὴ κέρως, ὁ δὲ ψιλὸς εἰς τὴν ἰδίαν ἐκτρέχει χῶρον, πάντα δὲ ἐφ' ἓνα σημάνοντα κινεῖται καὶ πρῶτος δὲ τὸ κράτος ἔχοντος ἡγεμόνος. Quæ ita Apulejus convertit, *Velites excursionem adornant, ordinibus Principes curant, equites cornibus præfunt, cum interea unius ducis imperio tantus exercitus paret ei quem præfecerit penes quem est summa rerum.* Ubi *Principes* qui curant ordines sunt ταξίαρχοι ac λοχαγοὶ. *Principes ordinis* vocat Festus in voce *Principia*, quem locum castrorum dici ait, in quo *Principes ordinis* tendunt. De his ergo *Principibus* Vegetius, aut ille quem exscripsit, loqui voluit cum eos in prima acie pugnasse tradit, ante *Hastatos*. Ita miserabiliter confudit *Principes* recentis militiæ qui primores ordinum fuere ac ductores, cum antiquæ aciei *Principibus* qui legionis secundum ex tribus corpus constituebant, quique non in prima acie, sed in secunda post *Hastatos* ante *Triarios* pugnabant. Auctores illi quos compilavit Vegetius de re militari scripsere circa tempora Hadriani. Et cum Græcos πελικὺς diligentissime versarent, in antiqua re Militari Romanorum parum versati fuerunt, quam nec intellexere, sed omnia ad sui temporis usum ac morem revocantes, & cum Græcorum πελικῇ comparantes linea alba diversissimi generis ac temporis militias signarunt. Idem porro Vegetius sive Frontinus in Epitome Vegetii inter legionis gravem armaturam post *Principes* & *Hastatos Triariosque* recenset *Antesignanos*, lib. I. cap. II. *Legio autem propriis cohortibus plena cum gravem armaturam, hoc est Principes, Hastarios, Triarios, Antesignanos:* Qui sunt isti *Antesignani* inter gravis armaturæ milites legionis numerandi alio loco indicat, ubi eos enumerat qui ante signa & circa signa pugnarent, lib. II. cap. XV. quemadmodum legionum acies instruantur: *Sed ante signa & circa signa, nec non etiam in prima acie dimicantes, Principes vocantur, hoc est ordinarii, catærique principales.* Hæc erat gravis armatura, qui habebant cassides,

cataphractas, ocreas, & qua sequuntur. Qui ante & circa signa dimicabant, hi non possunt alii videri quam *Antesignani* quos supra gravi armaturæ legionis accensuit. Hi sunt quos *Principiorum* nomine vocatos supra demonstravimus, quosque *Principales* appellat *milites* Vegetius. Inter quos & primorum ordinum centuriones fuere quos *ordinarios* appellat. Omnes qui extra ordinem militabant, omnes voluntarii, & quicumque muneris vacationem ex aliqua dignitate in militia habebant, *Principia* etiam vocabantur. Non enim locus in castris ita vocabatur tantum, quæ Græcis *ὑπερῶνα*, sed etiam *Principales* milites & dignitate præcipui sic vocati. Vel unus locus Livii id ostendit lib. xx. *Nam & castra expugnata sunt, & ipse dux militum cum aliquot Principiis capitur.* Id est cum aliquot *Principalibus* militibus, sive *Principibus*, tribunis nimirum, vel ordinum primorum ductoribus. De quibus alibi. Notandum autem clare à Vegetio sive Frontino distingui primam aciem, ab illo ordine in quo *Antesignani*, id est principales milites ante & circa signa dimicaturi, stabant. *Sed ante signa*, inquit, *& circa signa nec, non in prima acie dimicantes Principes vocantur.* Generali vocabulo omnes qui ante signa & circum signa dimicarent, *Principes* vocatos ait. Qui ante signa dimicabant, ordinarios & principales cæteros milites *Principes* appellatos innuit. Similiter & qui in prima acie prælium committebant, in ordine & sub signis militantes *Principes* nuncupatos significat. Quod & paulo post confirmat de prima acie : *Prima acies Principum, secunda Hastatorum armis talibus docetur instructa.* Hinc origo & fons erroris cernitur. Antiqua acies *Principes* habuit cum *Hastatis*, sed *Hastatos* primos & in prima acie pugnantes, *Principes* secundos & in secunda, sic dictos non quod primi essent & *Principes* ordine, & primo loco in acie dimicantes, sed quod principalis essent roboris, utpote in virili ac firmata ætate constitutos. Auctores qui post commutatam militarem rem vixerunt, perverso ordine *Principes* præposuerunt *Hastatis*, ex vi nominis, quod primum in quoque ordine sonat. Sic *Principes* antiquæ ordinationis confuderunt cum *Principiis* & principalibus militibus recentioris militiæ, & qualis ævo suo agitabatur. Eo modo & primam aciem *Principibus* præcæ legionis tribuerunt, eosque qui primi ante aciem & signa pugnant, *Principes* quoque;

quoque dixere, ut revera *Principes* in acie consisterent, id est primi. Non dubium autem *Principia* dicta de his qui in primore acie pugnam capebant, hoc est principales milites. Sed operæ pretium est animadvertere *Principes* & *Principia* à Vegetio distinguere, cum clare etiam *Antesignanos* à *Principibus* separet. Nam gravem armaturam ait consistere in *Principibus*, *Hastatis*, & *Antesignanis*. Eorum porro primam aciem fuisse dicit, quia in prima acie dimicabant. Distinguendi igitur sunt ut ipse eos discrevit, qui ante signa ac circa signa, & qui in prima acie pugnant. Illi *Antesignani* vocabantur, hi *Principes*. Ex Apuleio autem notavimus *Principes* dictos fuisse tunc τὸς λοχαγὸς qui & πρῶτος. Hi in primis ordinibus post signa pugnant, quia ordinibus quos ducebant præerant. At *Antesignani* sic dicti qui ante signa præliabantur vel circa signa. Omnes isti *Principiorum* nomine censebantur. Ergo *Principiorum* vox generalior quam *Principum*. Certe *Antesignanos* illius temporis *Principiorum* nomine appellatos esse certissimum est, à quibus *Principes* separavit Vegetius lib. II. cap. II. cum gravem armaturam, de his tribus interpretatur, de *Principibus*, *Hastatis* & *Antesignanis*. At idem cap. XIV. ejusdem libri *Principes* videtur generaliter appellare omnes qui ante signa & circa signa & in prima acie pugnant. Ita *Principes* & *Principia* eadem. *Princeps* & *Principium* idem, ut *conjux* & *conjugium*. Adia significatione *Principes* quoque appellatos supra docuimus qui ante signa prælium incipere solebant. levis armaturæ milites, eisdemque etiam nomine *Antesignanorum* nuncupatos. Quæ omnia in superioribus satis probavimus. *Primi* pugnantes & *inter primos* apud Sallustium sunt qui ante primam aciem pugnant, vel quod idem est, in prima acie. In bello Catilinario: *Mallius & Fesulanus in primis pugnantes cadunt*. Duces illi Catilinarii exercitus qui in primis, vel inter primos pugnant, ante aciem nimirum, & ante ipsa signa. De ipso Catilina ibidem ait: *Magna vi certatur. Interea ipse Catilina cum expeditis in prima acie versari*. Illi *expediti*, ut ante explicavimus, fuere levis armaturæ milites, sive antiqui *velites*. Ergo in prima acie pugnare censebantur qui ante aciem dimicabant. Ipse Catilina in acie instruenda propter Aquilam adstiterat. Sic ante ipsam aciem & ejus primos ordines constiterat. Nam Aquila

&

& reliqua signa cohortium ante ipsas cohortes ordinatas præferebantur. Sua quamque cohortem signa præcedebant quæ omnia in eadem linea procedebant. Post signa sequebantur in altera recta linea primi ordines primæ aciei, qui lineam insistebant *ἡ πρώτη ἰσχυρὴ* priori lineæ in qua signa cohortium ac manipulorum stabant. Ita qui circa signa locati erant atque, ut loquitur Arrianus, *ἀμφὶ σημεῖοις*, vel propter signa incedebant, cum signis ipsis sive signiferis lineam rectam constituiebant, & sic ante aciem ipsam sive primos ejus ordines cum ipsis signiferis positi incedebant. Hic locus fuit, teste eodem Arriano, tribunorum, & primorum centurionum, & aliorum *Principiorum* sive principaliū militum, ut loquitur Vegetius. Apulejus. *Velites excursionem adornant, Principes ordines curant.* Id est regunt. Ita præbant ordinibus, quos ducebant. Et hi primi ordines erant in acie. *Inter ipsa signa* Livius locatos dicit qui propter signa in pugna adstitebant vel propter signa. Immo & ante ipsa signa eosdem constitutos ait, accipiēdo signa pro ipsis manipulis vel ordinibus, ut apud eum sæpe accipiuntur, ut cum *post signa receptos equites* scribit pugna excessisse qui post aciem se receperant. Catilina qui in acie ordinanda propter Aquilam adstiterat, in congressione ipsa ardore pugnandi provectus cum *expeditis* id est levis armaturæ militibus versabatur. Quod Sallustius vocat, *in prima acie versari.* Quasi prima acies expeditorum ac levium peditum fuerit, ut Livius aliquot locis autumat. Quinimo cum idem Sallustius in libro de bello Catilinario, ait Catilinam *centuriarios omnes & evocatos, præterea ex gregariis quoque militibus aptimum quemque armatum in primam aciem subduxisse*, per primam aciem non intellexisse videtur illam ipsam primam aciem quam jam ex octo cohortibus instruxerat in fronte constitutis, *Octo cohortes in fronte constituit, reliqua signa in subsidiis artius collocat.* Per frontem intelligit primam aciem, in qua constituerat octo illas cohortes. Reliqua signa, hoc est reliquos manipulos, in subsidiis collocaverat, id est secundam aciem ex his composuerat. Ordinibus & acie prima ita constitutis, mox centuriones & evocatos qui centurionibus dignitate æquabantur, in primam aciem subduxit, hoc est in eo campi spatio collocavit quod ante aciem primam ad incursum vacabat. Qui præcedit primum tanto magis primus est, utpote

utpote primo prior. Ea mente auctores falcatas quadrigas & elephantos qui ante aciem & signa prima collocabantur, aciem primam constituere dixerunt. Nec alia ratione levis armatura quæ ante aciem universam, *πρὸ τῆ ὅλης διωάμεως*, collocabatur, primam tenere & facere *aciem* videbatur. Quid enim proprie est *acies*? In ferro est quod in primore cultri aut gladii acumine consistit, & primum scindit. Hoc *σῶμα* Græci, unde & per tralationem *πῶλον σῶμα*. Inde *σῶμα* verbum acuere, & *σῶμα* in ferro id quod scindendo penetrat. Arrianus *σῶμα* quasi phalangis in primis ordinum ductoribus constituit quos propterea validissimos ac fortissimos esse vult, quia pars ea præcipue est, ut in ferro, quæ prima per *πῶλον* intrat. Eam proinde firmissimam, & maxime induratum esse oportet. De primo ductorum ordine ita ille scribit: *Τῷ γάρ το τὸ ζυγὸν ζυνέχῃ πάντων τῶν Φάλαγγα, καὶ τὸ ἴσον παρέχει* ἐν τῇ μάχῃς ὅτι περὶ τὸ σῶμα τῶν σιδηρῶν. ὅπῃον γὰρ ἢ τῷ ἐν ᾧ ἢ τῇ τομῇ ἢ σιδηρῶν, ἔτω καὶ ὁ πᾶς σιδηρὸς ἐργά(ε). ἢ μὲν γὰρ τομὴ αὐτῶν καὶ τὸ σῶμα γίνεται, τὸ δὲ ὑπολοιπὸν καὶ εἰ μαλισταχὸν τύχοι ὄν, οὕτως ζυνεπερεείδῃ τῷ πρῶν. ἔτω καὶ τῇ Φάλαγγι σῶμα μὴ γίῃ τις ἀντὶ τοῦ ἐκ τῆ λοχαγῶν συντάγμα, ὅγκον ἢ καὶ βάρῃ τὸ κατὰ τὴν τέτων πλῆθος. Hic ordo primus continet totam phalangem, & idem valet in præliis quod acies in ferro. Nam qualis est acies, id nempe quod scindit, talis & reliqua ferri pars, & idem efficit ac præstat. Quod enim scindit in ferro, id per aciem scindit. Pars ferri reliqua etiam si mollior sit, ipso tamen pondere & mole adjuvat nisum prementis in scindendo. Sic & phalangis aciem, hoc est id quod scindit ac penetrat, statuere debemus in primorum ductorum ejus ordine, ferri molem & pondus in ea quæ à tergo sequitur cetera multitudine. Sed de phalange Græcorum hæc dicit Arrianus, quæ ad levem armaturam quæ ante aciem ordinatam collocari consueverat, meliori jure possint transferri. Nam illa primæ aciei quasi acies statuenda est. *Τὸ σῶμα τῇ πρώτης τάξεως*. Acies in ferro non solum prima ejus pars, sed etiam tenuissima, & maxime gracilis. Eadem tamen maxime efficax. Id pronuntiare Polybius de levi armatura non veritus est, lib. x. ubi *πᾶσα τῇ διωάμεως* etiam *πρᾶκτικώτατα* esse scripsit, *levem armaturam efficacissimam in bello videri*, adeo ut victoria sæpe per eam profligata, titulus tamen penes gravem armaturam resideat. Sic prima acies in exercitu ad pugnam in-

C c

structo

structo & ordinato dupliciter intelligebatur. Quæ ex gravis armaturæ militibus, sub signis & in ordines redacta in hostem pergebat, ei proprie nomen *primæ aciei* hæsit, aut *prima frontis*. Et quæ ante hanc primam collocata ex levis armaturæ peditibus composita erat, ea prima fortunam belli experiebatur, & prima periculo objectabatur. Hæc etiam duplex quodammodo fuit, & duplex genus *Antesignanorum* habuit. Una levium armorum habuit pedites, veloces, expeditos, ad procurrendum & recurrendum refugiendumque ad signa primæ aciei si hostis validiusurgeret, idoneos. Parsejus altera ex *Principiis* legionis, & voluntariis, aliisque dignioribus militibus constabat, qui propius pressiusque attingebant primæ aciei signa, ut pote circa ipsa signa dispositi, & ante signa, cum illi leves omnium primi satis longo intervallo, *ἐν δὲ τοσούτοις*, ut Polybius ait, ab his diffiti fortunam belli experirentur, & hostes adorirentur. Ex his duorum generum *Antesignanis*, & illis qui primam aciem sub signis suis ordinatam constituebant, prima acies constabat, extensive, ut ita dicam, sumpta. Sic *antecæna* pars cœnæ cum sit, quæ cœnam præcedit, si quis eam in duas partes dividat, mensam primam & secundam, prima mensa continebit cœnam & antecœnam. Non potest autem dubium cuiquam esse, quin tempore etiam Cæsaris, primores ordines & omnes qui *Principiorum* nomine noti erant, digniores ac principaliores militares viri ante signa & circa signa in prima acie pugnare soliti fuerint. Quod etiam satis in superioribus demonstratum est. Si ante signa tum præcipui quique dignitate militari pugnarunt, etiam *Antesignani* dici potuerunt, immo & debuerunt. Et fortasse an Cæsar, ut ab his *Antesignanis* discerneret leves milites qui & ipsi quoque ante signa pugnam ciebant, & *Antesignani* dicebantur, hos *expeditos Antesignanos* vocaverit, hoc est leves *Antesignanos*. Veri porro simile etiam videtur cum auctores qui post Augustum vixerunt, aciei *Antesignanorum* & *Postsignanorum* meminerint, ut Frontinus, de *Antesignanis* illis altiorum ac primorum ordinum potius intellexisse qui primam aciem constituebant, quam de levibus ac expeditis *Antesignanis*. Cæsarum enim tempore qui post Augustum imperarunt Romani *auxiliaribus* sive *auxiliis* urebantur tantum ad levem armaturam. Inde Tacito *cohortes leves*,

leves, pro *auxiliariis*. Ex illis autem *auxiliaribus* non solebant acies componere quæ id nomen haberent. Non enim pro acie computabant instructam ex illis in prælio manum. Multo minus quæ levibus tantum armis pugnaret, si ante signa procurfaret pugnandi gratia, aciei appellationem ferre voluerunt. At videmus Vegetium primam aciem facere ex *Principibus* & *Antesignanis*. Apud Senecam senatum primam aciem in Pompeii fecisse dicitur, & *altiores ordines in prima acie stabant*, apud eundem. Cæterum in prisca militia primi illi ordines ac *Principia* cum ipso duce apud *Triarios* erant qui tertiam aciem faciebant, & postremam claudebant. Apud Livium lib. xxii. Consulem in prælio Romano lancea transfixum cum hostis spoliare cuperet, *Triarii obiectis clypeis arcuere*. Ergo ante *Triarios* pugnabat, & in tertia acie cum reliquis altioribus ac *Principibus* ordinibus. Ea tertia acies in primam postea traducta. Quæ & acies *Antesignanorum* appellata est. Quæ post eam erat, nempe secunda, *Postsignanorum* dicta. Atque ita fortasse Livius exponendus est cum aciem in *Antesignanos* & *Postsignanos* dividit, quam & triplicem stetit dicit. Nam si pro una acie *Antesignanos velites* ibi numerasset, tunc non triplex acies Romana, ut jam dictum est, stetit sed quadruplex, ex *velitibus* nimirum, *Hastatis*, *Principibus* & *Triariis* instituta. Sed omnino sic veteris militiæ morem & ordinationem cum sui temporis aciei instruendæ instituto confudit.

C A P. XIX.

De vexillariis legionum qui succedere in locum Antesignanorum. De loco in acie levis armatura. De excultoribus posterioris ævi.

NON diu post Cæsarem nomen *Antesignanorum* de levi armatura legionum duravit, cum auctores qui post Augusti ævum scripsere, nusquam eorum mentionem faciant. Certe nec Tacitus eorum meminit, nec Suetonius, nec alij. Frontinus *Antesignanorum* aciem appellat, & *Postsignanorum*, sed illi *Antesignani* videntur intelligendi de *Principiis* sive principalibus militibus qui ante signa pugnabant, ut supra diximus. Mentio fit in veteri inscriptione *Antesignanorum Tribuni*. Sed nullos habuerunt *Tribunos velites Antesignani*, sive expediti *Antesignani* qui pro

levi armatura legionum censebantur. Nisi quis dixerit postquam in cohortes distributi sunt militia commutata qui cohorti eorum præerat tribunus, vocatum esse *tribunum Antesignanorum*. Campidoctores sive Campigeni etiam *Antesignani* appellati sunt quod ante signa irent, ut militibus præscriberent in profectione armaturæ, quomodo in hostem incedendum esset, & ab hoste recedendum. Ita vocem *Antesignani* usurpavit Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. *In cruento enim certamine cum Maximo velut cum Antesignano suo contendens superare eum in succidendis nobilium familiarum nervis studebat.* Id est cum campidoctore suo. Hi certo numero fuere in legione, & qui eis præficiabatur, dictus est tribunus *Antesignanorum*, ut illo ævo Tribunus & comes pro qualibet præfectura usurpabatur. Nullum certe in auctoribus qui posteriores Augusti sæculo vivere, vestigium extat illorum *Antesignanorum* expeditorum qui leves erant legionis pedites. In antiquiore militia *velites* appellati sunt, in Cæsariana *antesignani*, postea ut plane conjicio, *vexillarii*. Ergo *vexillarii* illi *legionum* quorum apud Tacitum frequens extat mentio, non alii sunt intelligendi quam illi ipsi qui antiquitus *velites*, deinde *Antesignani* appellati sunt, ævo demum Taciti *vexillarii* fuerunt. Disputant de his critici, & quinam sic dicti sint, quærent. Pars volunt exauctoratos fuisse veteranos & nondum missos, dum præmia & agros expectant, sub vexillo retentos. Sed non potest hæc opinio recta videri. Nam locus est ejusdem Livii ubi legionis robur abfuisse dicit, cum tantum adessent *vexillarii*, lib. II. Hist. *Præcipua Quartadecimanorum ferocia qui se victos abnuebant, quippe Bedriacensi acie, vexillariis tantum pulsas, vires legionis non affuisse.* At vires legionis præcipue positæ in veteranis. Præterea veterani illi exauctoritati, & emeritis stipendiis qui ad vexillum retinebantur, non amplius in censu ac numero legionis reputabantur. At illi *vexillarii*, de quibus Tacitus, pars etiam tunc legioniserant & passim vocantur *legionum vexillarii*, quasi adhuc inserti legioni, eadem cum cæteris legionariis matricula continerentur. Quoquo modo admiseris divisionem legionis Romanæ in gravem & levem armaturam, ut non potest aliter quin admittatur, si ponas etiam in gravi armatura vim præcipuam constituisse, de hac accipine utique poterunt illi *vexillarii* Taciti,

Taciti, saltem ex mente auctoris. Nec sanior opinio eorum qui censent per *vexillarios* intelligi debere partem legionariorum militum qui à sua legione aberant in alias provincias missi, ut essent subsidio legionibus ibi consistentibus ad præsidia agitando. Dictos autem esse *vexillarios* quod ab Aquila separati sub propriis vexillis militarent. Multa sunt quæ huic sententiæ refragantur. Primum de nomine ratio ipsa inutilis est. In ipsa legione integra & plena, Aquila semper à reliquarum cohortium signis separatur. Hinc legimus ubique apud auctores, *Aquilam & signa*. Sic distinguuntur etiam *Aquiliferi & signiferi*. Signa autem & vexilla indifferenter de cohortium cæterarum signis usurpantur, excepta prima quæ Aquilam habuit. Deinde quid prohibet simili ratione partem legionariorum militum lectissimam ac potissimam mitti solitâ quæ præsidio esset aliis legionibus per provincias diversas consistentibus ad prætenturas ibi agendas & stationes agrarias? Quæ ratio exigit ut perpetuo ad eum usum submissi sint leviores è legione milites? Postremo nec locus Taciti quem ad suam sententiam firmandam produciunt, quidquam ad rem facit. Hoc tantum probat *Vexillarios* legionis eos dictos in quibus non esset positum præcipuum robur ejus ac vires. Ergo in legione non dividua, sed suis omnibus cohortibus, & numeris absoluta pars militum fuit certo numero constituta, hoc nomine *Vexillariorum*, in qua robur legionis non consisteret. At quæ hæc, nisi quæ leves habebat milites? De certo numero horum constat ex Hygini Gromatico de Castrametatione qui locum illis in castris separatim assignat ubi tendant, & sexcentos in singulis legionibus fuisse ostendit. *Vexillarii*, inquit, *legionum debent eandem pedaturam accipere quam cohortes legionaria, quod ad sexcentenos homines computentur*. Si duæ essent itaque legiones, mille ac ducenti erant *Vexillarii*. Si tres, mille octingenti. Idem Hyginus: *Legiones III. Vexillarii mille octingenti, cohortes pratoria quatuor*. Non ab hoc numero longe abit Tacitus qui *Vexillarios* in unaquaque legione videtur agnoscere quingentos, ubi ait Othoni præmissa esse bina milia militum ex quatuor legionibus quarum præcipua erat Quartadecimana. Ergo ex singulis legionibus quingenti *Vexillarii* missi, quot unaquæque legio tum *Vexillarios* fortean habuit. In legione senis millibus constante, *Vexillarii* fuere sexcenti, quot

nimirum singulæ cohortes legionariæ milites habuere. At flegio quinis millibus militum constaret, tum quingenti ut in unaquaque cohorte extitere milites, totidem quoque *Vexillarios* accepit legio, id est quingentos. Ut *Vexillarios* legionum vocat Hyginus, ita & Tacitus. Sic enim scribit XIV. Annalium: *Iam Suetonio quartadecima legio cum Vexillariis vicefimiariis, & è proximis auxiliares, decem ferme millia armatorum erant.* Palam est vocari *Vexillarios* vicefimiarios, vicefimæ legionis *Vexillarios*. Hos esse plane non suspicor tantum sed adfirmo, quos Julii Cæsaris ætas appellavit *Antesignanos legionum*. Leves erant, id est leviter armati pedites, & juvenes qui ad irrandam pugnam ante signa procurrebant, quod *velites* munus in antiqua militia habuerunt. Cur *Vexillarii* vocati? Quia *velites* olim sine vexillis & ordinibus vagantes passim ac discurrentes hoc munere fungebantur, postea in ordines & sub signa reducti operam *velitarem*, & procurfatoriam præstiterunt. Quod factum est ubi quaterna illa corpora legionis, *Velites*, *Hastati*, *Principes*, ac *Triarii* in decem cohortes æquales distributa fuere, quæ singulæ sua *vexilla* acceperunt. Inde & *velites* quoque in cohortes reducti propria haud minus quam cæteri *vexilla* habere cœperunt. Sub signis enim eos tempore Sallustii pugnasse supra eodem teste probavimus. Sed cum omnes cohortes sua habuerint *vexilla*, cur ipsi proprie *vexillarii* dicti sunt? Quia sæpius à legione sua sejuncti in diversa loca mittebantur. Nam cum expediti essent ac veloces, non ad hunc tantum usum sumebantur, sed in varias regiones mitti solebant, prætenturis agendis, aut *præsidis*, ut ait Tacitus, *agitandis*, aut etiam præliis, aut ad alia ministeria bellica ubi eorum opera necessaria duci videretur. Nam magnum instar in hac levi armatura Romana fuisse ante docuimus, quamvis vires legionis in his sitæ non essent. Si quando autem extra ordinem aliqui ex legionariis mitterentur aliquo, aut pabulatum aut frumentatum, aut ad aliud quid administrandum, semper sub *vexillo* mitti solebant. Quod erat aliud quam signum cohortis ex qua erant illi legionarii. Uno exemplo id probandum ex Cæsare lib. VI. de Bello Gallico: *Erant in castris ex legionibus agri relictæ, ex quibus qui hoc spatio dierum convalescerant circiter trecenti, sub vexillo una mittuntur.* Quod *Antesignani*

signani legionum sæpe extra ordinem ad varias hujusmodi belli necessitates mitti soliti essent, & quidem sub *vexillo*, ideo etiam *vexillarios* nuncupatos, & hoc proprium tandem nomen tulisse constat. Eos in priscorum *velitum* locum successisse diximus. Sed numerus non convenit. Mille ac ducenti *velites* erant in antiqua legione, qui binas cohortes efficere poterant, legione ad numerum senum millium perducta. At sexcenteni tantum *Vexillarii* fuere in unaquaque legione. Sed quid vetat contractum numerum priscorum *velitum*, & in partem dimidiam redactum in nova legione, quam quantus olim in antiqua fuit? Quis nescit longe majoris momenti mutationes intercessisse in militia Romana? Sexcenti tantum erant in antiqua legione qui pila gererent, & *pilani* ex eo dicerentur, nempe *Triarii*. Aucta legione, & immutata ejus divisione, totidem *Pilani* in ea facti sunt quot *Hastati*, ut ab Arriano docemur. Præterea Livius in pugna Romanorum contra Latinos, sub Decio qui se devovit, enarranda, præter *Rorarios* & *Accensos* quæ tunc fuit levis armatura, unumquemque manipulum, videnos leves habuisse dicit, qui hastam tantum, ac gæsa gererent. *Manipulus*, inquit, *leves videnos milites*, *aliam turbam scutorum habebat. Leves autem qui hastam tantum gæsaque gererent.* Sed manipulis *Hastatorum* isti videntur, ut ex verbis Livii colligitur, leves intermixti tantum fuisse, non etiam *Principum* in quorum manipulis scutatos omnes fuisse ibidem scribit. Sic res militaris multum apud Romanos variavit. Posset aliquis, si forte, persuasum habere, *Antesignanos* Vegetii quos inter gravem armaturam legionis reponit, hos ipsos fuisse quos sic Cæsar appellat, & qui *Vexillarii* postea nominati sunt. Atqui leves illi Cæsaris *Antesignani* legionum, & isti Taciti *Vexillarii*, cum Vegetius eodem nomine vocatos gravis armaturæ militibus accenscat. Certe leves isti *Antesignani* Vegetii, sive Frontini verius, in comparisonem maxime levium, videri gravibus accensendi possent. Quinam illi? funditores, sagittarii, & ballistarii. Nam & hos quoque posset aliquis contendere in legionem receptos esse postquam universæ Romani orbis provinciæ civitate donatæ sunt Antonini lege. Ab eo tempore qui inter auxilia militabant, Baleares funditores, sagittarii Ityræi, Numidæ & Cyrenæi, in legionariam mili-

tiam.

tiam admissos fuisse ac numerum quoque levis armaturæ legionum auxisse. Nec vanum sic fuerit quod scripsit Vegetius, live potius Frontinus qui sagittarios, funditores, & ballistarios in legione Romana recenset, & in ipsis ordinibus prælii collocat. *Legio*, inquit, *propriis cohortibus plena, cum gravem armaturam, id est, Principes, Hastarios, Triarios, Antesignanos: Item levem armaturam, hoc est ferentarios funditores, & ballistarios, tum proprios & sibi insitos equites legionarios iisdem matriculis tenet.* Sub Adriano vixit Frontinus, cujus ætate civitas jam data erat illis provinciis, ex quibus funditores, sagittarii, & ballistarii veniebant. Et cum ex omni provinciali milite indifferenter legeretur illa tempestate miles legionarius, sic factum ut pro levi armatura legionum reciperentur etiam funditores Baleares, & aliarum provinciarum, quæ illo genere armaturæ valebant, sagittarii. Arrianus qui eodem quo Frontinus ævo vixit in ordinatione aciei contra Alanos, instituta acie media ex duabus legionibus Romanis, Quintadecima & Duodecima, in ordines novenos introrsum structa, nonum ordinem ex sagittariis Numidis, Cyrenensibus, Bosporianis & Ityræis composuit. *Ἐννάτη δὲ, inquit, ἡ πέμπτη ἐστὶν πύξις, οἱ περὶ τοῦ ὅπου, οἱ τῶν Νομάδων καὶ Κυρηναίων καὶ Βοσποριανῶν καὶ Ἰππερίων.* Nonus autem ordo post omnes adjiciatur, ex peditibus sagittatoribus, Numidarum, Cyrenensium, Bosporianorum, & Ityræorum. At levis armatura antiqua Romanorum *Velitum, Antesignanorum & Vexilliariorum* in solis jaculatoribus constabat, quos *ἀχρεπῆς* vocat Polybius. Hinc Livius in pugna Cannensi primam aciem ex jaculatoribus, & levium armorum auxiliis factam ait. Ubi jaculatores illi, sunt vélites Romani. Hi etiam gladio succincti erant, & rem manu gerebant jactis & consumptis jaculis, ut ex Sallustio perspicuum est. Arrianus quoque eos non prætermisit, in acie contra Alanos ordinata, & *κῆφες λογχοφόρες* appellat, id est *leves hastatos*. Centenos ex his circa Ducem apparere vult, siquando usus posceret, quocunque ipsi videretur, mittendos. Duplex genus *Hastatorum* in exercitu Romano tum fuisse idem Arrianus nos docet, gravis armaturæ *Hastatos*, & levis armaturæ. Hos *κῆφες λογχοφόρες* vocat. Nam *λογχοφόρες* ut ante monui appellat, quos ipsi Romani *Hastatos* dixerunt. *Velites* autem Romani etiam *hastati*, immo etiam

Rora-

Rorarii antiquiores. Leves, id est *κῆφοι*, in exercitu Romanorum contra Latinos directo, hastam teste Livio gerebant. Ennius:

Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber.

Hastatos leves, id est *Rorarios* fortasse designat. Sic enim spargebant hastas, quomodo rorat aut pluit. Verius tamen est apud Ennium illo versu *Hastatos* appellari qui sic proprie dicebantur, peditum nempe gravium genus qui hastis armati ante *Principum* aciem, ipsi primam constituebant. Ex his gravibus *Hastatis* quatuor posteriores ordines in acie legionum construit Arrianus, quos & *λογχοφόρος* vocat. Certe illi *κῆφοι λογχοφόροι* si comparentur cum funditoribus, sagittatoribus, & ballistariis, graves, ut dixi, possent videri. Omnia facio ut possim Vegetium, aut eos à quibus sumsit excusare: sed nihil procedit. Nam certum est in legionem Romanam nunquam receptos fuisse sagittarios & funditores. Nulli minus leves in ea fuere quam jaculatores, quales constat fuisse *Velites Antesignanos* & *Vexillarios*. Eos leves legionis *κῆφος λογχοφόρος* appellare videtur Arrianus, ex quibus certum numerum circa se dux sumebat qui sibi ministrarent, *Statores* eos vocabant. Hi legionis *κῆφοι λογχοφόροι* vocantur *ἀκονήται* eidem Arriano, ubi agmen sui exercitus describit. Hi ante signa legionum ibant. Ita enim scribit: *πρὸ δὲ τῶν σημείων αὐτῶν πεζῶν, οἱ ἀκονήται πύχθων, αὐτὰς δὲ τὰς πεζὺς ὅτι πηλάρων ἰέναι.* Ante aquilam peditum legionis ordinentur jaculatores. Ipsi autem legionarii pedites quaterni ambulent. Ergo Ityræi illi, Numidæ, Bosphoriani, Cyrenæi, sagittatores ex quibus nonum ac decimum ordines suæ aciei composuit Arrianus in bello contra Alanos, non fuere leves legionarii, sed inter *auxiliares* militabant. Nec carent porro ratione qui contendunt non ab Antonino Pio sed ab Antonino Caracalla civitatem datam fuisse omnibus provinciis orbis Romani. Præterea quamvis jam tum datam iis constaret civitatem cum illa scripsit Arrianus, corrupta disciplina militari inter *auxilia* qui vellent nomen potius dabant quam in militia legionaria. Quam causam Vegetius unam ponit aut præcipuam quæ legiones fecerit exhauriri. *Est & alia causa*, inquit, *cur attenuata sint legiones. Magnus in illis labor est militandi, graviora arma, fera munera, severior disciplina. Quod vitantes plerique in auxiliis festi-*

nant militia sacramenta perdiscere, ubi & minor sudor, & maturiora sunt pramia. Ita ille lib. II. c. I. Vnde unde autem sumpserit de sagittariis, funditoribus, ballistariis in legionem receptis, & partem legionis facientibus, falsissima sunt, nec minus de nova legione quam de antiqua. Noli igitur putare *Antesignanos*; id est jaculatores, à Frontino ideo gravi armaturæ accensios, quia levem proprie constituerent funditores ac sagittarii, sed de his *Antesignanis* quos ante diximus intelligendi sunt, nempe de principalibus militibus sive *Principiis* qui ante & circa signa pugnabant, quique primam aciem constituebant, ut ipse clare dixit eodem lib. c. XV. ubi docuit, *quemadmodum legiones in acie instruerentur.* Alioquin *campigenos*, qui & campidoctores, etiam *Antesignanos* vocatos idem Vegetius ostendit, libro eodem cap. VII. quo exposuit nomina & gradus *Principiorum* legionis. Ammianus quoque Marcellinus *Antesignanos* appellatos docet hujusmodi campidoctores, ut jam supra ostendimus. Nam & sic lib. XIX. scribit, *Horum campidoctoribus, ut fortium factorum Antesignanis, post civitatis excidium armatas statuas apud Edessam loco celebri locari jusserat imperator.* Et posset de his quoque *Antesignanis* locus Vegeti accipi. Quippe qui cum cæteris *Principiis* legionis antesigna pugnabant. Ut sit non amplius leves legionis nomine *Antesignanorum* vocati sunt post Augusti sæculum. Cæsar in commentariis qui leves sive expeditos legionis *Antesignanos* nominat, nunquam tamen *levis armaturæ* nomine eos appellat, sed *levem armaturam* cam proprie nuncupat, quæ *auxiliarium* erat. *Levis* autem *armaturæ* appellatione interdum proprie jaculatores nuncupat, ut supra diximus, alibi generaliter eodem nomine comprehendit etiam funditores ac sagittarios. Distinguit lib. II. de bello Gallico *levem armaturam* à funditoribus ac sagittariis, his verbis: *Cæsar certior factus à Titurio omnem equitatum, & levem armaturam Numidas, funditores sagittariosque pontem transducit.* Non utebatur, ut hinc apparet, alia levi armatura tunc Cæsar quam *auxiliari*. Hi agmen præcedebant cum equitatu, & ante aciem ipsam pugnandi causa procurrebant. In eodem libro idem Cæsar generaliter omnes levius armatos, etiam funditores & sagittarios auxiliares, *levis armaturæ* nomine donavit. Ita quippe scripsit eodem II. lib. de bello Gallico: *Eodem tempore equites*

equites nostri, levisque armatura pedites qui cum his una fuerant, quos primo hostium impetu pulsos dixeram, cum in castra se reciperent, adversis hostibus occurrebant. Quos hic *levis armatura pedites* vocavit, paulo ante ubi pulsos eos dixerat, *sagittarios & funditores* appellavit: *Equites nostri cum funditoribus sagittariisque flumen transgressi cum hostium equitatu praelium committunt.* Paulo post sic etiam nuncupavit cum de iisdem loqueretur. Livius quoque de pugna Cannensi scribens, *jaculatores* qui Romanorum erant *velites*, à levium armorum *auxiliis* separavit. *Levis* ergo armatura proprie de jaculatoribus, funditoribus & sagittariis *auxiliarium*. *Velites* legionis postquam in legionibus esse desierunt, *Antesignani* dicti sunt, qui fuere Romani jaculatores. Sed *levis armaturæ* nomine, ut dixi, proprie *auxiliares* designati sunt. Quo loco autem constitui soliti essent *levis armaturæ* milites in acie Romana, quæ fuerunt docti. Non sine discrimine super eo pronuntiare debuerunt, quod non parvum fuisse liquet militiam inter antiquam ac novam. In antiqua semper ante aciem positi, primi praelium auspicabantur. Et hic ordo perpetuus pugnandi apud illos fuit. *Velites* incipiebant. Equites deinde in praelium succedebant. Post equestre certamen, pedestre sequebatur, ex *Hastatis* primum, ex *Principibus* sequens, ex *Triariis* ultimum. Nulla post *Triarios* acies, nulli nec gravis nec *levis armaturæ* milites, qui deficientibus aliis rem sustentarent. Quamdiu solis Sociis è nomine Latino pro *auxiliis* usi sunt, non alia ratione bella gesserunt. Sociorum *velites* cum Romanorum *velitibus* pugnam provocantes primi excurrabant, *Hastati* Romani cum Sociorum *Hastatis* cuncti pedem cum hoste conferebant. Et sic de *Principibus* & *Triariis*. Nec alia exempla suppeditat Polybius, quam *velitum* ante signa provolantium, nulla in extremo agmine subsidentium. Procedente vero tempore ubi *auxilia* etiam externa adhibere instituerunt, quæ ut plurimum in levi armatura consistebant, cum iis abundarent, aliis atque aliis locis in acie ea constituerunt, modo ante signa, modo in cornibus, interdum in media acie, & in postrema prout expediret, aut necessitas & ratio atque ordo praelii id requirere videretur. Inter equites, ut plurimum, interjiciebantur, cujus ordinationis exempla non pauca apud Cæsarem reperiuntur. Ut lib. 11. Belli

Gallici: *Eodem tempore equites nostri peditesque levis armatura qui cum his una fuerant.* Item lib. VII. *Neque ullum fere diem intermittebat, quin equestri praelio interjectis sagittariis quid in quoque esset animi ac virtutis suorum perclitaretur.* In libro de Bello Africano: *Et unam partem ab altera exclusam equitatu intrinsecus adortus cum peditatu telis coniectis in fugam vertit.* Ibidem de exercitu Scipionis, *pedites Numida levis armatura cum equitibus procurrunt.* Eodem libro Cæsar, *levem armaturam inter equites interponit: Antesignani* similiter, qui leves pedites & expediti in legionaria militia tunc erant, & quos idem Cæsar à levi armatura *auxiliorum* distinguit, aliquot locis inter equites præliantur. Olim non ita fuit. *Velitare* primo certamen, deinde equestre fiebat, cui succedebat pedestre per pedites gravis armaturæ & legionarios. Ad hoc sane instituti primum *velites* feruntur, & in legionis numerum censumque recepti, ut essent qui inter equites præliari possent, pernecitate corporum spectati juvenes, quos singulos in equos suos accipientes equites assuefecerunt desilire velociter, ubi signum datum esset. Quod inventum tradunt auctores belli Punici secundi tempore, in obsidione Capuana, anno urbis DCXL. Ergo ante illud tempus levis armaturæ pedites ut *Rorarii & Accensi* non norant intermixti equitibus præliari, sed seorsim primi dimicabant, deinde iis pulsus, & post signa receptis equites in prælium succedebant, & pugna equestris committebatur. Hic vetus ordo pugnae fuit. Apud auctorem belli Africani Cæsar *Varie passimque, locis certis, sed præcipue in cornibus sagittarios collocat.* Alibi idem Cæsar sagittarios ante aciem constituit. Auctor ejus commentarii, *levem armaturam* à sagittariis funditoribusque discrevit, ut & Cæsar aliquando, quamvis alibi sagittarios levis armaturæ nomine etiam comprehenderit, ut supra à nobis demonstratum est. Sic enim auctor ille ait de acie Scipionis: *Sagittariis funditoribus in utrisque cornibus dispositis, levique armatura inter equites interjecta.* Quod & alibi ab eo factum. Per levem armaturam Numidas, pedites, jaculatores intellexit. Sed optimi auctores cum Cæsare *levis armatura* nomen usurpant de *auxiliarium* jaculatoribus, funditoribus, & sagittariis, Romanos autem leves, *Antesignanos* solent nominare, & *expeditos*. De quibus nos alibi plura in magno opere. Levis ergo armatura pro loco,

loco, tempore, & hoste variis locis in acie solita disponi, in cornibus, ante aciem, à tergo. Arrianus utriusque rei militaris Græcæ & Romanæ juxta peritus ita de eorum in acie collocatione edisserit: τὰς πρὸν ψιλὰς ἄλλας ἄλλη πακτίον, ἄλλοτε γὰρ ἄλλοι καὶ ὠφέλιμοι γίγνον) πῶς μὲν οὕτως ἀνὰ τὴν χώρην ἔχῃ ἵνα ἡ πρῶτη γίγνηται, ἡ δὲ πολεμίων ἡ ὁρμαίνουσα πρὸς ἑσπινὰς ἀνὴταιτόμεθα. ποτὶ γὰρ μὲν πρὸ πύχθαι δεήσει τὴν Φάλαγγα, ἄλλοτε δὲ ἐν τοῖς δεξιοῖς, νῦν δὲ ἐν τοῖς ὠνύμοις πῶς γίγνηται. Τὸ πολὺ δὲ καὶ κατὰ τὴν ἰσχυρίαν ὠφέλιμοι ἦδη δὲ καὶ εἰς λόχους καὶ χωροφύλων τὴν πεζὴν, λόχοι ἐνὲ βλήθησαν ἐναλλάξ τὴν ψιλῶν. *Quod ad levem armaturam attinet, variis locis ordinanda est in acie. Namque alibi atque alibi locata juvat prout est regionis situs, in qua exercitus ad pugnam instructus stat, aut prout sunt hostium copie contra quos aciem directam tenemus. Aliquando enim erunt statuendi levis armatura milites ante ipsam phalangem, interdum in dextra phalangis parte, interdum in sinistra constitui debebunt. Multum etiam profunt, si à tergo gravis armatura collocati fuerint. Iam vero & in ordines dispositis gravium armorum peditibus moris etiam est alternis intermiscere ordines levis armatura militum. Horum omnium locandæ levis armaturæ modorum exempla apud Cæsarem & Sallustium occurrunt. Nam & interdum velites disperiebant inter ordines legionariorum. Maxime autem solenne fuit, ut ante aciem, & post aciem locarentur, id est ante Principia, & post Principia. Sallustius in bello Jugurthæ, de exercitu instructo Marii quo contra Jugurtham stetit: *Primos & extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat. Expediti illi manipuli sunt velites illius temporis. Nam & expeditæ cohortes apud eundem Sallustium similiter pro expeditorum sive velitum cohortibus accipiendæ sunt, in Jugurthæ bello; de Metello: Itaque ipse cum expeditis cohortibus, item funditorum, & sagittariorum delecta manu apud primos erat. Expeditæ illæ cohortes ex levi erant armatura Romana, quæ & circa Ducem plurimum solebat esse. Arrianus καὶ φαν λογχοφόρος vocat quorum partem semper Duci adstiteri ait debere, ut eorum opera utatur ad varia quæ necessitas belli postulaverit, ministeria. Cum his expeditis, id est levium armorum militibus Romanis, jungit funditores & sagittarios, quæ auxilium fuit levis armatura. Cum his utriusque generis levibus, apud primos erat Marius, id est in prima acie. Expeditos etiam**

vocat idem Sallustius *velites* Romanos sive *Antesignanos*, ut tunc vocabant, cum quibus Catilina in prima acie versabatur, in Catilinario: *Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari*, id est ante signa & ante ipsam aciem. Nam paulo ante dixit Carilinam cum *colonibus*, id est clientibus & libertis propter Aquilam adstitisse. Ubi autem pugna committi cœpta est, cum expeditis, quos ibidem *ferentarios* verbo Catoniano appellavit, immixtus præliabatur. Idem quippe est in *prima acie versari* & apud *primos agere*. Ergo *primi* tribuni cum manipulis expeditorum prima in acie versabantur, id est ante signa. *Extremi* in postrema acie agebant. At idem Marius in sinistra parte exercitus funditores & sagittarios locaverat, ut legitur apud eundem Sallustium: *In sinistra parte A. Manlius cum funditoribus & sagittariis, præterea cohortes legionis curabat*. Ea levis armatura auxiliorum fuit. Sequitur de Romana, ante *Principia* & post *Principia* cum tribunis qui eam curabant, collocata: *Primos & extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat*. Idem paulo post apud *primos* posuit pro in prima acie in qua expediti & ferentarii dimicabant: *Tum Marius apud primos agebat, quod ibi cum plurimis erat*. Alibi *Principes* appellat qui primi in agmine incedebant: *ipse cum sinistra ala equitibus esse qui in agmine Principes facerant*, id est primi. Similiter & in acie *Principes* & primi dicebantur qui in prima acie versabantur. Unde & *velitibus* & *Antesignanis* id etiam nomen hæsit teste Varrone. In omnibus igitur locis utiliter poterant disponi levis armaturæ pedites, prout id expedire Duci visum esset. In prima acie, in postrema, in lateribus atque etiam in medio, inter ipsos peditum gravis armaturæ ordines. Onofander non probat ut extremi collocentur, propter eas rationes quas in Strategico suo reddit. Sic enim locatos post *Principia*, plus damni suis inferre quam hostibus. Sed nec ad latera ponendos censet. Tantum primos sive *Principes* statui vult, ante aciem peditum sive phalangem. *Ψιλὰς δ' ἔ, inquit, ἀκοντιστὰς καὶ πηξότας καὶ σφενδονιστὰς πρῶτας πρὸ τῆς φάλαγγος ἑστῶσι. Κατόπιν γὰρ ὄντες πλεῖονα κακὰ διαθήσονται τὰς ἰδίας ἢ τὰς πλεμίας*. *Leuium armorum pedites, jaculatores, sagittarios & funditores, primos statuet ante ipsam phalangem. A tergo quippe locati plus mali suis importabunt, quam hostibus*. Enimvero apud præcos Romanos nunquam alio

alio loco in acie positi reperiuntur nisi ante signa, & primam aciem. Mutata re militari pæne, ut dixi, legitimum fuit, eos & ante, & à tergo locari, primos & extremos, ut loquitur Sallustius. Ipse quoque Arrianus in ordinatione contra Alanos, non solum ante aciem eos disposuit, sed etiam post omnes ordines legionariorum, adeo ut exercitus in octonos ordines in latum porrecto, nonum ordinem de sagittariis adjiciat. In eadem ordinatione gravis armaturæ milites præponit jaculatoribus inter auxilia versantibus, *ὡς περβολῶν*, inquit, *ἀνὰ πρὸ τῶ ἀκροντιστῶν τὰς ὀπίστας*, τὰς δὲ ἀκρονίσζεν ἐξ ὑπερδεξίης. Ita ut levi armatura prætendat gravis peditum armatura ad eam, jaculatores autem ex superiore loco tela adjiciant, supra caput nimirum antecedentium gravis armaturæ militum. Et hanc habet rationem Onosander quare nolit jaculatores & funditores post tergum phalangis in ultimum locum rejici, quia jacula in sublime ab his emissa in caput hostium sine ullo effectu casura sint. Nam impetum & vim habet telum in altum vibratum, sed decidens nullam habet vim nisi quam dat pondus teli, amissa ea quam addiderat manus emittentis. Ridiculum porro est credere usui esse potuisse levem armaturam post phalangem præcipue Græcam locatam, si ad hoc tantum locaretur, ut adactis supra caput phalangitarum telis hostes vulneraret aut occideret. Qui enim hoc posset fieri in tanta præsertim altitudine phalangis quæ communiter in triginta ac duo ordines introrsus patebat? Ordo autem ab ordine in latum sex pedes distabat. Sic triginta duo milites in latitudinem phalangis porrecti occupabant triginta & octo passus. In hoc spatio non directa sed in altum emissa tela in corpus adigi hostium quis sibi persuadeat potuisse? In acie Romana aliud erat. Cum enim admodum tenuata, & ex paucis ordinibus constans strueretur, ut infra docebimus, pone eam stantes leves hastati vel sagittarii, sive funditores, vix dubium quin tela ad hostem cum noxa perferre possent. Quod etiam melius processisset subsidentibus in genua ordinibus exercitus instructi, sicut facere soliti erant primi ordines dum postremi pila sua jacerent. At in tam profunda latitudine ordinum, ut fuit in phalange Græca vel Macedonica, à tergo ejus posita levis armatura non hoc sibi promittere potuisset. Nec hoc certe fini in *Postprincipis*

piis ejus levium primorum milites ab ullo unquam perito duce locatos putaverim. Ad subsidium ibi sepositi poterant habere quod agerent, facile inde evocandi, & in primam aciem subducendi. Præterea adversus hostium superventum ex inopinato, atque à tergo aciem adorientium paratum ab his præsidium, vel ut ex proximo laborantibus submitterentur. Alia etiam ratio *velitum* in exercitu Romano. Condocefacti quippe inter equites præliari, ubicunque equites locarentur, ibi esse poterant. Cæterum equites præcipue in cornibus locabantur, ut ante aciem peditum cum *velitibus* pugnarent. Ita à fronte hostem & à lateribus incurfare poterant. Hoc est quod ait Onosander, de equitum ordinatione in prælio, non semper Ducem ex sua voluntate eos ordinare posse, sed prout viderit hostium equitatum dispositum, ita & suum debere instruere. Cæterum in præliis quæ acie instructa committuntur semper in cornibus locandos esse. Sic enim & à fronte & à tergo hostem impetere posse. *κατὰ τὴν ἐκ τοῦ πλάγιος μάχας ἵππὶ κέρως τὰ πολλὰ πεπίετω, ἵνα καὶ ἐκ πρὸς ὧν καὶ ἐκ πλαγίων προσβάλλοντες καὶ τῶν μείζονι χρώματοι, μὲν ἄς ὁκέει ἄλλοι πταγιδροὶ τυγχάνουσιν, ἔχουσιν ἀποχεῖν πρὶ τῇ ἱππικῇς ἐπιστήμῃς.* *Ut plurimum in præliis quæ acie instructa committuntur, disponere eos debet circa cornua, ut à fronte ac à lateribus in hostem possint incurrere, atque ut spatio loci majore usi cum nullos post se habeant ordinatos quantum rei equestris peritia valent, ostendere, & explicare possint.* Inter equites pugnandi gratia cum *velitibus* locus daretur, ut plurimum etiam in cornibus & ante aciem præliari consueverant. In acie quidem instruenda post *Principia* non raro locum accipiebant, aut etiam in ipsis intervallis ordinum, sed cum prælium committendum erat, inde evolantes ante aciem procurrebant, ut pugnam provocarent. Et sane ratio veteris rei militaris non ferebat, ut leves in postrema acie locarentur, aut saltem ut in eo loco pugnarent, qui sic contrarium consueti sequuti essent aciei ordinandæ institutum. Cum enim per gradus pro ætatum differentia suis militibus arma darent, & locum in acie assignarent, juniores levius armabant, seniores gravioribus ornabant & onerabant armis. Sed & prout erant levius aut gravius armati, ita in acie ordinanda eos collocabant. A junioribus & à levius armatis incipiebant, in seniores & gravis armaturæ milites desinebant. Ita ante pri-

primam aciem pugnabant, *Rorarii*, & *ferentarii velitesque*, qui & omnes maxime juvenes. Aciem primam & secundam, constituebant *Hastati*, & *Principes*, gravius quam *velites* armati, sed levius quam *Triarii* qui postremam aciem semper claudere consueverant, interdum etiam nec claudebant, sed ad præsidium castrorum relinquebantur. Sæpe & castris muniendis destinabantur, *Hastatis* & *Principibus* pro munitione stantibus ad hostes repellendos. Contrarium hac in re etiam tenuit morem nova militia. Nam deteriores milites præsidii deputabat agitando, optimos quosque ac fortissimos ad pugnam deligebat. Ita Cæsar fecit in bellis Gallicis. Nam *cohortes quas minime firmas ad dimicandum existimabat, castris præsidio relinquebat, reliquas ad bellum ducebat*. Quem vide lib. VII. Et naturalis est hujus rei ratio. Nam timidiore & experientia periculorum parum firmati milites, munimentis objectis inclusi melius se defendunt, quam æquo campo & aperto Marte congregiuntur. Hoc ignorantes, & mutæ rei militaris parum gnari cum *vexillarios* legerent apud Tacitum Annali I. *Præsidia agitant vexillarios discordium legionum*, de veteranis interpretati sunt, qui sunt accipiendi de levibus & *velitaribus* armis instructis militibus, ut ante exposuimus. Cum igitur Romani veteres hac ordinatione uterentur in acie instruenda, ut levius armatos ac juniores semper ad pugnandum præmitterent, acies agminaque veteranis clauderent, præpostero ordine & insolenti levem armaturam post omnes acies locarunt. Quod nunquam ab illis factitatum. Commutata re militari hoc etiam mutatum. Ubi admiserunt auxilia externarum gentium quibus abundabant, & quibus carebant Romani veteres, eaque auxilia pro levi armatura habuerunt, & in media & in prima & in postrema acie ea locaverunt. Subsidiarias etiam ex his acies quæ semper à tergo constituuntur legitimarum & justarum, frequentissime adornarunt. Africanus capite quo tractat quomodo instruendæ sint acies, levis armaturæ locandæ rationem ex temporibus & occasione petendū esse admonet. Alia enim tempora aliarum eorum locationem postulare, ut aut post tergum ponantur, aut ad latera. *Τὴν δὲ*, inquit, *ψιλῶν πέντε οἱ κρητοὶ μάλλον διδάσκει. ἄλλοτε γὰρ ἄλλω τῷ σῶματι δέχον, ποτὶ μὲν καὶ ἔραν τὴν φάλαγγα ἐπόμενοι, ποτὶ δὲ καὶ πάλωθεν αὐτῇ σῶματιόμενοι*. Ex ratione tamen instructio-

E e

nis

nis aciei hanc rem constitui debere ibidem ostendit. Nam si introitum multiplicatis constet ordinibus, quam βαθίαν φάλαγγα appellat, tum ad latera ejus collocandam esse levem armaturam. Sin autem tenuis sit, & ex paucis in latitudinem ordinibus confiter, à tergo esse ponendam, quia jacula & saxa inde emissà supra ordines præcedentium peditum tenuata acie instructorum facile perferri ad hostes possint, ac primam eorum aciem vulneribus affligere, & perterrefacere. Ὅταν μὲν γὰρ ἡ φάλαγξ βαθύη ᾖ, καὶ πλάθειν αὐτοὶ οἱ ψιλοὶ πάντων. ὅταν δὲ παλαιὰ καὶ ἐνὶ κατὰ πρὸς τὰ βελη καὶ τὰς λίθους περιπίπτοντα ἔμετώπῃ τὴ φάλαγγα φθάνει πρὸς καὶ τραυμαλίζον καὶ κατὰπλήθειν τοὺς πολεμίους. Cum acies profunda est ad latera ejus levium armorum pedites collocantur. Sin in longitudinem extensa sit ac tenuis, pone constitutendi sunt, quia jacula & lapides emissi & cadentes ante frontem aciei, perungere ad hostes possunt eosque vulneribus ac terrore afficere. Addit ibidem interdum & rationem aciei flagitare ut ante primam aciem excurrant præliaturi contra hostilem equitatum ut eum lapidibus & aliis missilibus telis laceessant, ipsosque equos perturbent. Ἐπὶ δὲ ὅτι καὶ τὸ ὁπλιτῶν οἱ ψιλοὶ περὶτρέχοντες λυσίπλεστον πρὸς συμμαχίαν ἐπιποιῶν κατὰ ἵππων ἀγωνιζόμενοι, καὶ σφενδόναις, ὡς καὶ πολλὰ τὰ ἐχθρῶν ἵππους ἀναπερσέποντες. Est & ubi ante gravium peditum aciem excurrentes leves operam navare possint longe utilissimam, pugnando adversus equitatum hostium, & fundis perturbando eorum equos. A funditoribus præcipue exterreri ac perturbari equos hostium dixit, quia dum funda ter circum caput acta & rotata lapides jacerent, eo motu equis pavorem incutiebant. Hanc levium peditum procurrationem qua περὶτρέχον εὖς dixit Africanus τὸ ὁπλιτῶν, veteri militæ Romanorum maxime familiarem, immo vel ordinariam fuisse, ea quæ docuimus in superioribus ostendunt. Miror autem auctores qui de remilitari scripserunt veteres, in ea levis armaturæ instructione, non distinxisse locum pugnandi, & locum consistendi in acie ordinata. Frustra enim disputassent in antiqua illa ordinatione Romanorum quo loco disponendi fuissent volites. Quippe cum in alio loco ordinarentur, in alio pugnarent. Nunquam aliter eos poni solitos constat dum acies ordinaretur quam post omnes acies. Post ordinatam vero aciem cum incipiebat congressus utriusque exercitus pede collato fieri, atque utrimque

que acies movebantur, tum *velites* ex postrema acie in qua erant collocati in primam procurrebant vel excurrerant per intervalla præcedentium gravis agminis manipulorum. Apud Livium lib. VIII. in pugna Romanorum cum Latinis, *Rorarii* & *Accensi* in extremam aciem rejiciuntur, dum exercitus ordinibus instruitur. Ubi moveri incipiunt acies & procedere in adversum altera alterius, tum *Rorarii* procurrunt inter antepilanos, per intervalla nimirum præcedentium in acie manipulorum, quæ ad hoc ipsum relinquebantur, partim nempe ad emittendos *velites*, partim ad recipiendos tam *velites* quam priorum acierum manipulos, qui retro pedem referre cogebantur. In Græca *πελινῆ* id observatum non fuit, ut nec in nova Romana, cum illi per phalanges continuas aciem instruerent, isti per confertas cohortes, sine ullis intervallis. Ea de causa levis armatura eodem loco quo pugnatura erat, etiam constituebatur. Longum enim fuisset post ordinatam aciem, si ex novissimo agmine per rhodoros laterum circuitus in primam aciem provolare contendisset. In antiqua vero ordinatione id facile fuit, cum intervalla inter manipulos sive ordines instructos patentia relinquerentur per quæ & in primam aciem procurfare, & inde rursus post extremam recedentes se recipere possent. Ideo recentiores auctores Græci Latinique quibus ignota fuit illa veterum Romanorum instructio, quique solam Græcam *πελινῆ* noverant, eamque quæ tunc frequentabatur Romanam, disputare solent quo loco melius commodiusque in acie collocanda sit levis armatura. At in veteri semper in ultimo loco ordinabatur, in primo ante aciem peditum gravius armatorum pugnam incipiebat. Apulejus in Latine reddendis auctoris Græci verbis qui de Mundo scripsit, quod opus inter Aristotelis opera legitur, ad vetus institutum Romanorum in levis armaturæ excursionatione ante primam aciem explicanda respexit, cum Græcus auctor qui suam, id est Græcam in animo habebat, aliud spectarit atque intellexerit. Dixit ille, ὁ ψιλὸς εἰς τὴν ἰδίαν ἐκτρέχῃ χώραν. Hoc est ubi signum tuba datum est, levis armatura ad locum sibi assignatum excurrit, sive post aciem, sive ante frontem, sive ad latera. At Latinus auctor sic ea vertit, *Veles excursionem adornat*, id est è novissima acie ubi collocatus est, in primam excurrit, ubi pugnare debet.

debet. Revera autem *velites* in Romana acie nuspiam locati aut ordinati dici possunt, ut pote qui nec ordines servarent nec signa haberent quæ sequerentur, sed vagi & inordinati per vices procurrendo recurrendoque ac recipiendo se ad suos, pugnarent. Ut plurimum autem in acie instruenda à tergo omnis instructionis stabant, sed cum pugna erat committenda, ex loco novissimo per intervalla præcedentium manipulorum excurrerant ante primam aciem, & inde si pulsi essent per eadem intervalla se recipiebant. Nec possunt etiam videri aciem primam constituisse qui sine ordinibus essent & sine signis. Omnia hæc habuit Græcorum levis armatura, quos *ψαλξ* vocabant. Nam sub signis ordinati pugnare solebant. Ideo & locum certum in acie accipiebant prout Duci id expedire visum esset. De qua re nos alibi. Tribus olim generibus levis armaturæ quæ sola cognita fuerant, jaculatorum, sagittariorum & funditorum, tertium addidit posterior ætas *ballistariorum*. Vulgo vocamus *arcuballistas*. Eos in levis armaturæ censu reponit Vegetius lib. II. cap. II. *Item levem armaturam, id est ferentarios, sagittarios, funditores, ballistas*. Alibi cap. xv. ejusdem libri *Tragularios* videtur appellare, qui ad *manuballistas*, vel *arcuballistas*, dirigebant sagittas. Circa sæculum Constantini, aut paulo ante, videntur in militiam recepti. Græci *χροβαλλίστας* vocant. In Burgundiæ nostræ agro Alexiensis prope Arnetum repertæ sunt haud ita pridem duæ icunculæ sive sigilla argentea, unum militis quasi legionarii, pari certe habitu, veterani, barbati, & vultu retorrido, hujusmodi arcuballistam ad pedem tendere conantis: altera juvenis imberbis, in linea militari monoloris, & arcum tendentis. In urna vitrea sub terra inventæ sunt. Non solum autem resipsæ in militia mutantur, sed etiam verba quibus res demonstrantur. Ut in hac levi armatura, *Accensi* primo dicti, *Rorarii*, *Ferentarii*, deinde *Velites*, postea *Antesignani* & *Vexillarii*, postremo *Exculcatores* & *Armatura*. Sic enim sua ætate dictos levium armorum pedites significat Vegetius lib. II. cap. xv. *Post hos erant ferentarii, & levis armatura, quos nunc exculcatores, & armaturas dicimus*. Sic enim ex veteribus libris ibi restituendum. De solis autem jaculatoribus istos *exculcatores* accipiendos esse, quos *levis armatura* nomine proprie veteribus appellatos supra docuimus, ipse

Ve-

Vegetius ibidem docet his verbis quæ sequuntur: *Erant item sagittarii: erant funditores, qui ad fundas vel fustibalos lapides jaciebant: erant tragularii qui ad manuballistas vel arcuballistas dirigebant sagittas.* Ergo *excultatores*, & *armatura* distinguebantur à funditoribus, sagittariis & ballistariis. Non possunt itaque esse nisi jaculatores. In Notitia Imperii mentio fit harum *armaturarum, juniorum & seniorum.* Et credendum est Vegetio eo tempore levem armaturam & fortassean quidem legionum, ita fuisse appellatam. Nec obstat quod lib. eodem, cap. vii. *Armaturas* inter *Principia* legionum recenset. Non enim inde sequitur, quod voluit Vir doctissimus Notis in Ammianum Marcellinum distingui debere *armaturas* quarum apud eundem Ammianum lib. xiv. ubi *armaturarum tribunus* dicitur, & in Notitia Imperii fit mentio, ab illis *armaturis* quos inter *Principia* legionum, sive principales milites numerat Vegetius. Huic auctori lib. ii. cap. xv. *Armatura* sunt illius temporis leves milites. At cap. vii. ejusdem libri non alias agnoscit *armaturas* quæ inter *Principia* legionis numerantur. Non enim absolute meminit *armaturarum* quasi principalium militum, sed vocat *armaturas duplares* eos ex levi armatura milites qui duplas consequiebantur annonas. Sic *Torquati sesquioplares & duplares* ab eadem ratione dicti fuere qui locum quoque habuere inter *Principia* legionis. Item *Candidati sesquioplares & duplares*, de quibus nos alibi. Immo vel ex his colligi potest *armaturas* illas fuisse illius temporis levem legionis armaturam, quandoquidem qui duplam & sesquioplam consequiebantur annonam dicti sunt *sesquioplares*, & *duplares*. *Duplicarii* hujusmodi milites olim vocabantur quibus, ut ait Varro lib. iv. de L. L. *ob virtutem duplicia cibaria ut darentur institutum.* De quibus nos alibi. Quod ad *excultatores* attinet quo nomine & leves milites tum appellatos esse scribit idem Vegetius ab *exculcandis* jaculis, id est emittendis ita videntur dicti. Nam *Exculcare* ita significat ἐμβάλλειν, ut *inculcare* est ἐμβάλλειν. Nisi si forte potius ab excurrendo sic appellatos placeat. Nam & *proculcatores* dixit Ammianus Marcellinus, qui sunt procuratores, de hujusmodi levibus. Nempe à *calcare* quod est iter terere ac facere. Quam interpretationem videtur Papias confirmare, dum *Sculcas* explicat Italico vocabulo *cavalcadas*. *Sculcas* etiam & *scul-*

cacatores dixere recentiores pro *exculcīs* & *exculcatoribus*. Ita *spansum* pro *exspanso*, *sposita* pro *expositione* apud Anianum, & alia ejusmodi nobis alibi notata. Græci recentiores *πικλῶν* scriptores, *σκέλκας* & *σκαλκᾶτρες* appellant, & pro exploratoribus eam vocem usurpant. Quod inde est quia levibus militibus ad explorandum utebantur, & ad hoc sæpe præmitti & procurrere solebant, cum equitibus ut constat ex Josepho lib. III. cap. VIII. ἀλώσως. Inde verbum *σκαλκᾶν* pro explorare. Pro excubitoribus etiam hos *exculcatores* sive *sculcatores* posuere, quia munus hoc etiam fuit *velitum* excubias ante castra agere circa vallum, ut apud Polybium legimus. Unde & *procubitores* de *velitibus* apud Festum his verbis: *Procubitores dicuntur fere velites qui noctu custodia ante castra excubant cum castra hostium in propinquo sunt, ut M. Cato in eo quem de re militari scripsit.* Inde *σκέλκη* recentioribus Græcis pro βίγλαις, sive vigiliis, & excubiis nocturnis. Ita enim legendum apud Leonem in *Tacticis*, Εἰς δὲ καὶ ἄλλως πῶς ἀναγκαῖα τὰ κέντηλα ἐν τῷ σκέλκας. καὶ ἐν τῷ κέλκας vulgo legitur, quas perperam à *culcare* quod vulgariter cubare est, deducunt. Male etiam in utraque significatione tam explorandi quam excubandi *σκαλκᾶτρες* quidam scripsere pro *σκαλκᾶτρες*, quasi à verbo *auscultare* Latino id vocabulum esset factum, cum *exculcatoribus*, qui proprie fuere jaculatores vel excursores, tam excubiarum agendarum pro castris, quam locorum explorandorum ministerium incumberet. Inde & *Exculcatores* pro excubitoribus & pro exploratoribus appellati, & voce curtata *σκαλκᾶτρες*. Hinc *sculcatoria* navigia, τὰ κατὰ σκοπικὰ apud Cassiodorum *Variarum* lib. II. Epist. XX. Sic enim ex scriptis codicibus ibi legendum: *Atque ideo presenti decernimus jussione ut quantas in Ravennati urbe sculcatorias potueris reperire, frumentis fiscalibus oneratas ad nos usque perducas.* Excubitorias etiam liceat exponere, quatenus utrumque munus sustinueri eadem naves, ut iidem milites levis armaturæ, tam excubitores quam exploratores fuerunt. Turnebus ab *exculcandis* glandibus dictos istos *exculcatores* putabat, sed falso. Non enim funditores erant, ut diximus, sed jaculatores. Rarius quippe funditorum vel sagittariorum opera utebantur ad explorandum, atq; ad excubandum pro castris, frequentius jaculatorum, ut olim *velitum*, quos jaculatores fuisse

fuisse constat. Et Vegetius duobus locis *excultores* à funditoribus & sagittariis discernit, ut lib. II. c. XVII. *Ferentarii autem, armatura, excultores, sagittarii, funditores, hoc est levis armatura, adversarios provocabant ante aciem procedentes. Ipsi sunt & ὀπλοχρησται* quos *deparabes* vulgo vocatos ait Scholiastes Ptolemæi Tetrabibli. Alia est significatio *armatura* quam sub campidoctore milites legionarii discebant. De qua alibi.

C A P. XX.

De equitibus, & in his differentia antiqua rei militaris ac nova, & qui numerus eorum in antiqua legione fuerit.

A *Velisibus* ad equites veniamus, ita postulante ordinis ratione qui pene perpetuus observatus est apud antiquos Romanos in acie instruenda, vel pugna saltem committenda. *Velitarem* quippe ante prima signa, sive primam aciem, dimicationem, excipiebat equestre certamen. Post equitum prælium, instructæ peditum gravius armatorum legiones signa in hostem inferebant. Livius lib. XXII. *Clamore sublato procursum ab auxiliis, & pugna levibus primum armis commissa, deinde equitum.* Et paulo post: *Pulsique Romani equites terga verterunt. Sub equestris finem certaminis coorta est peditum pugna.* Idem libro eodem, paulo supra: *Prima levis armatura Romanorum praoccupatum inferiore loco succedens tumultum pulsa detrusaque terrorem in succedentem intulit equitem, & ad signa legionum refugit. Peditum acies inter percussos impavida sola erat.* Plura exempla apud eum occurrunt, quæ fidem faciunt non alio tunc pugnandi more atque instituto in bellis usos fuisse Romanos. Priusquam ulterius progrediar ad notandam differentiam quæ circa equitatum in utraque militia Romanorum intervenit, paucis expediam in genere quid de equitibus ac peditibus senserint variæ nationes. Nam constat alios peditatum prætulisse, alios equitatum, & in prioribus fuisse Romanos. Quibus equitatus potior fuit, ut plurimum equorum copia abundarunt. Non aliæ autem ferme in equis habendis alendisq; studium posuere nationes quam quibus natura regionis quam incoluerunt equini pecoris fecturæ accommodata visa est. Campestria maxime loca huic rei idonea,

idonea, ut & campi extenſi ad uſum equorum bellicorum & equeſtris pugnae in primis apti. Ithacam ſuam equis habilem eſſe negavit Telemachus cum equos ei donare veller Menelaus. Argos autē in Græcia equis maxime nobile fuit. Unde & ἵππων vocabatur. Eædem porro regiones quæ equis nomen famamque dederunt, etiam ut plurimum equites laudatos habuere. Ita in Græcia Theſſalici equi equiteſq; commendabantur. In Italia Tarentini & Campani. Nam vicina Campania Apuliæ, à qua Varroni nobiles equi Apuli. *Campanus an Apulus anceps*. In proverbio etiam fuit, *Campanus equus, Cumana meretrix*. Galli noſtri olim equis equitibuſque celebres extitere. Vnde & Adrianus qui rem militarem Romanam multis inventis exornavit, non pauca quæ ad equeſtrem militiam pertinent decorandam & illuſtrandam à Gallis mutuatus eſt, ut & ab aliis populis quos equitandi peritia nobilitavit, ut à Parthis, Sarmatis, Getis, Rhætis & aliis, ut Arrianus teſtatur qui ejus temporibus vixit in libello de exercitiis equitum Romanorum. βασιλεὺς ᾧ, inquit, περὶ ἑξῶς καὶ τὰ βαρβαρικά ἐκμελετῶν αὐτὰς, ὅσαι περὶ Παρθυαίων ἢ Ἀρμενίων ἵππο τοξόται ἐπισηαῖσι, καὶ ὅσαι οἱ Σαυροματῶν ἢ Κελτῶν κεντοφόροι ἑπιπροφάς τε καὶ ἀποπροφάς τῶ ἵππῳ ἐν μέρει ἐπελαυνόντων, καὶ ἀκροβολισμὸς ἐν τῷ πολυεδεῖ καὶ πολυτερόπῳ εἰς τὰς μάχας ὡφελίμους καὶ ἀλαλαγμὸς πατερίαις ἐκάστῳ ᾗδῃ, Κελτικάς μὲν τῆς Κέλτης ἵπποισι, Γελικὰς δὲ τῆς Γέταις, Ραιλικὰς δὲ ὅσοι ἐκ Ραιτῶν. *Imperator vero Adrianus adinvenit ut Romani equites barbarica exercitia equeſtria meditarentur, quales Parthis aut Armeniis ex equo ſagittantibus in uſu ſunt, & qualia Sarmata & Galli equites conſati uſurpant in conſervationibus atque averſionibus invicem alternandis, & velitationes dimicationeſque multiplices ac varias ad prælia utiles, & jubilationes, unicuique genti familiares, ut Gallicas Gallis, Geticas Getis & Rheticas illis qui ex Rhatia ſunt.* Tria equitandi & pugnae ex equo genera Gallica, ſicut ea voce vernacula tunc Galli vocabant, idem commemorat, τὸ πείρεινον καλεῖμενον τρόπον, τὸ ξύμμα & τὸ σκοπέλεγον. Quæ & ibi qualia ſunt explicat. Apud Gallos olim noſtros cum Romani ſub Cæſare Galliam bello domitam pervæſerunt, præter Druidas qui ſacra curabant, reliquus populus in duo genera erat diviſus, in equites in quibus nobilitas cenſebatur, & pedites ad quem pedibus merendi in bellis ordinem ſola plebs relegabatur, qui & ſervorum pæne loco habiti. Hodie quoque in Gallia

Gallia nobilitas equitum est, & generis summi insignia omnia equeſtria, & ab equeſtri militia denominata. Scuta ſive *ſcutiones* ut vocantur vulgo in quibus ſtemmata nobilium habentur ſignata, equeſtres ſunt parmæ, non peditum clypei aut ſcuta. Apud Romanos veteres ſeminiū nobilitatis & origo ab equitibus ſumebatur, apud noſtros ſumma in his reponitur. Equeſtres familiæ nobis nobiliſſimæ, Romanis minus nobiles, ſed inde ad nobilitatis ſummam quæ in ſenatoribus reſidebat, via muniebatur. Ex cênſu enim æſtimabatur. Non omnium igitur erat inter nobiles cenſeri, ſed eorum tantū quos facultates in eo numero ponerent. Et quemadmodum pedites pro cenſu habebantur in legionaria militia honeſtioris gradus, aut minus honeſti, quorum quatuor erant genera, *Velites*, *Haſtati*, *Principes* & *Triarii*, ita ſupra hos cenſum èqueſtrem qui habebant, pluriſ fiebant & equo merebant quem ex publico accipere ſoliti erant, non pedibus. Sed de his latius tractare non eſt huius loci. Majus inſtar in peditatu poſuiſſe Romanos veteres quam in equitatu vel hinc liquet, quod pro ratione peditum pauciſſimos in exercitu haberent equites. Quod à prima regum inſtitutione manavit, & manſit non ſolum quando ſtetit reſpublica, ſed etiam ſub Cæſaribus primi ac mediī imperii. Sub regibus Roma inter Apenninum & mare ſita, & præterea in montuoſis locis condita, non multum equeſtri militiæ idonea videbatur, illo præcipue tempore cum nihil extra urbis pomeria ferme poſſiderent. Hanc cauſam puto cur equeſtri rei minus ſtuduerint. In alia parte Italiæ in nomine fuerunt ac laude Tarentini equites, Apuli, Campani, non etiam Romani. Romulus in ornanda & ordinanda militia cum legionem trium milliū feciſſet, contra hunc numerum peditum trecentos tantum equites inſtituit ſingulis, ut volunt, adtribuendos legionibus, qui & inde *legionarii* dicerentur. Sic pro deno pedito unus eques adſcriptus, pro centeno denus. Miror doctiſſimos viros ſcribere unicuique cohorti legionis adſcriptam equitum turmam, id eſt tricenos, cum certum ſit quo tempore inſtituta eſt legio à Romulo cum equite legionario, nondum in decem cohortes legionem fuiſſe deſcriptam, ſed in tria tantum corpora diſtribui ſolitam *Haſtatorum*, *Principum* & *Triariorum*. Singulis his corporibus legionis centeni attributi equites, unicuique vero manipulo deni. Nam ut in decem ma-

F f

nipulos

nipulos divisi fuere legionum *Hastati, Principes & Triarii*, ita etiam equites qui trecenti erant in denas partes distributi, id est turmas, quæ singulæ triginta equites habuerunt. Una autem equitum decuria quia ternæ in singulis turmis fuere, respondebat uni manipulo peditum qui mille ac ducentos habebat, proportionem, ut dixi, decupla quandiu legio fuit trium millium peditum. Sed aucta ad quaterna millia, qualis fuit sub Polybio legitimo quasi numero, idem tamen equitum numerus quasi justus mansit. Immo legio etiam usque ad sex millia peditum provecta, equites tamen non plures habuit trecentis. Varronis tempore hic status equitum fuit numerus in legione, qui etiam testatur non alium fuisse ab ipsa institutione. Sic enim scribit lib. IV. de L. L. *Turma terima est, E in V abiit. Quod equites ex tribus Tribubus Tatiensium Ramnium & Lucerum fiebant. Itaque primi singularum decuriarum dicti qui ab eo in singulis turmis etiam nunc deni.* E tribus illis Tribubus etiam peditum trium millium facta legio ab ipso Romulo cum singulæ Tribus singula millia mitterent. At si fides habenda Polybio à principio ducenti tantum equites scribebantur, in legiones singulas quatermilium, postea trecenti scripti sunt. Ita enim posuit: *Μετὰ ταῦτα τὰς ἰπῶν, τὸ μὲν παλαιὸν ὕψος εἰώθεον δοκιμάζειν ὅτι τοῖς τετραχλίοις Δραχσίς, νῦν δὲ περὶ πέντε πηλὸν αὐτῶν γενημένης ὑπὸ τῷ πηκτὶ τῆς ἐκλογῆς, καὶ ποιῶσι τετραχσίς εἰς ἑκάστην στρατόπεδον.* Clare dicit olim in quaterna millia peditum scriptos fuisse ducentos equites, sua vero ætate trecentos scribi solitos in singulas legiones. Nonne hoc falsum? Appello testes Livium, Dionysium alios scriptores Romanos qui ab ipso Romulo petunt institutionem trecentorum equitum in legione. Ovidius:

— *Hastatos instituitque decem.*

Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat

Corpora, legitimo qui que merebat equo.

Ergo equites in decem turmas divisi. Unamquamque autem turmam terdenorum fuisse equitum constat. Trecenti itaque fuerint. Totidem enim reddunt denæ turmæ. Ipse Polybius ita scripsit in tractatu de militia Romana, *ὡς ἀπλησίως δὲ καὶ τὰς ἰπῶν εἰς ἵλας δέκα διῆλον.* Similiter & equites in decem turmas dividebant. Idem tamen lib. III. disertè tradit, legiones singulas peditum accepisse ad quatuor millia, equites vero ducentos.

Quod

Quod si autem major necessitas ingrueret, tum circiter quina millia peditum in unaquaque legione conscribere suevissent, & equites trecentos. Ergo legitimus numerus equitum secundum Polybium in legione fuerit, ducentorum. Et frustra hoc telum declinare conatur Lipsius mendi arguendo locum istum Polybii ex eo quod libro primo idem auctor scripserit, in universum apud Romanos quaternas legiones confici solitas quotannis ex quaternis peditum ferme milibus, & trecentis equitibus. Nec juvat quod idem Polybius in libello de militia Romana dixerit, ἰπῶες καὶ πεζοὶ τετρακισὶς εἰς ἑκάστην στρατιώτηδον. Nam hoc de sua ætate plane scripsit, cum antiquitus in quaterna millia peditum solerent scribi ducenti equites, καὶ ταῦτα τὰς ἰπῶας τὸ μὲν πάλαιον ὕψος εἰώθεον δοκιμάζειν ὑπὲρ τετρακισίους τετρακισίους. Male quippe videtur legisse Lipsius & vertisse, ὑπὲρ τετρακισίους τετρακισίους. Quasi voluerit auctor lectos fuisse olim equites post pedites, ubi quaterna millia peditum ac ducenti in legionem conscripti essent. Immo dicit, equites olim legi solitos posteriores ubi nimirum pedites conscripti essent, quorum quaterna milia legionem efficiebant. Et ducentos quidem scriptos fuisse in quatermillenos pedites. Nulla certe in his Polybii gravissimi scriptoris apparet inconstantia. Sed magna Livii lib. xxii. ita scribentis: *Decem millia novorum militum alii scripta in supplementum, alii novas quatuor legiones additas, ut novem legionibus rem gererent. Numero quoque peditum equitumque legiones auctas milibus peditum, & centenis equitibus in singulas adjectis, ut quina milia peditum, trecenti equites essent.* Hæc clara sunt. Nec est ut suspicemur cum Lipsio scripturam interpolatam esse. Vetustissimus liber Puteanorum ita legit, ut posuimus. Hæc igitur mens Livii cum legiones ex quaternis milibus scriberentur ducentos tantum adscribi solitos equites. Ubi ad numerum quinum milium ascenderunt, tum trecentos singulis additos equites pro ducentis. Quomodo & Polybius ipse exponendus in illo loco de militia Romana quem supra adduximus. Nam de novo more qui ejus ætate obtinebat, ita scribit, καὶ πεζοὶ τετρακισὶς εἰς ἑκάστην στρατιώτηδον. Quæ opponit prisco instituto quo τετρακισίους tantum solebant eligi εἰς τετρακισίους πεζοὺς, *Ducenti equites in peditum quaterna milia.* Apud eundem Livium alio loco scribitur, *in decem millia peditum, quadringen-*

105 equites conscriptos, id est in singulas legiones quinum milium, ducentenos equites. Alibi etiam quadringentos adscriptos equites singulis legionibus quinum milium notat, ut lib. xi. *Novam legionem quinum milium & ducentorum peditum, equitibus quadringenis.* Ut res hæc variavit in numero equitum legionariorum, ita etiam in peditum. Sed constat tamen ut numerus legionis legitimus fuit in quaternis milibus ac ducentis, sic etiam equitum fuisse in trecentis. Ab ipsa Romuli institutione, quidquid dicant Polybius & Livius, ita fuisse certissimum argumentum est ex tribus Tribubus ad quas numerus tam peditum quam equitum à Romulo exactus est. Tria millia peditum inde facta, & trecenti equites. Nec enim equites ducentos ex tribus Tribubus confectos credi par est, ut rotundus numerus exeat. Præterea cum turmæ semper tricenorum equitum fuerint, & singule Tribus centenos equites miserint, non potest numerus ducentorum equitum cum illa Romuli institutione ac divisione coherere. Populum siquidem in tres Tribus divisit. Singulas Tribus in decem partes quæ Curix vocatæ sunt, quæque Græcorum *Φερίαις* respondent. Unaquæque autem curia denos equites sive unam decuriam dabat, qui tunc *Celeres* vocabantur, ex Græco Æolico *κέληρ*, id est singularii equites. Cum igitur singulæ Curix denos equites darent, & denæ curix essent in singulis Tribubus, ita singulæ Tribus centenos equites suppeditabant. Trecenti autem illi equites quos tres Tribus efficiebant, in decem partes rursus distributi sunt quæ *Turmæ* sunt appellatæ, Græcè *ἵλας*, vocavit Polybius quæ non debent *Alæ* verti Latine. Cæterum trecenti illi equites quos ex tribus Tribubus elegit Romulus non iidem fuisse videntur cum legionariis sequentis ævi equitibus, nec ad eum usum instituti, ut legioni adjungerentur. Administros eos sibi potius sumpsit qui in urbe quasi domestici sibi obsequium facerent, & in bello protectorum munere fungerentur. Sic enim scribit de horum *Celerum* institutione Dionysius lib. ii. quos à Romulo lectos ait, οἱ καὶ πόλιν καὶ αἰχμοφόροι ἢ αὐτῷ παρεκλήθησαν καὶ τῶν κελδομένων ὑπηρέται, καὶ ἢ τῆς ἐραλείας πόμαχοι πῆσαν καὶ ὀδωπισταί. *Qui in urbe sibi quasi corporis custodes armati apparerent, & ministrorum vice mandata ejus exequerentur, in bello autem protectorum munus, & propugnatorum susti-*

sustinerent. Idem si campus equitando aptus occurreret, ex equo pugnabant, si in loco aspero & montuoso pugna esset, pedites dimicabant, ut habetur ibidem apud eundem Dionysium. De his eadem omnino narrat Livius lib. I. *Trecentosque armatos ad custodiam corporis quos Celeres appellavit, non solum in bello, sed etiam in pace habuit.* Diversi itaque hi trecenti equites Romuli ab illis quos legioni adnexos *legionario*sque inde equites appellatos posterior ætas habuit. Trecentos illos *Celeres* à Romulo ad custodiam sui corporis in pace & bello fuisse destinatos, non est dubium. De legionum equitibus an semper hoc numero fuerint, dubitari potest ex illis Polybii ac Livii locis quos supra attulimus. Nam ducentos tantum primo fuisse plane testantur ambo. Perperam igitur auctores prisca confundunt illos trecentos equites corporis Romuli cum legionariis equitibus, cum illi similiores fuerint ei equitum generi, quos Adriani ætas *singulares Imperatoris* vocabat, aut *pratorianos*, posterior vero *domesticos & protectores*. Ab ea confusione ortum est quod Plinius scriptum reliquit lib. XXXIII. cap. II. *Equitum nomen saepe variatum est in iis quoque quæ ad equitatum trahebantur. Celeres sub Romulo regibusque appellati. Deinde Flexutes, postea Trossuli cum oppidum in Tuscia circa Volturnos, passuum novem milia sine ullo peditum adjumento cepissent ejus vocabuli, idque duravit ultra C. Gracchum.* Certum autem est ex iis quæ notavimus, non ejusdem generis fuisse equites qui sub Romulo regibusque *Celeres* appellati sunt, cum equitibus legionariis quos aliquando *Flexutes* à flexendis equis, & *Trossulos* ab oppido dictos fuisse constat. Illi quippe Romuli sequentiumque regum *Celeres* privati ac domestici ipsorum equites fuere ad custodiam corporis eorum instituti, & alia quæ vellent ministeria obeunda. Eodem errore Ovidius à Romulo equites qui publico equo merebant in denas partes divisos esse cecinit:

— *Legitimo quique merebat equo.*

Falsum enim est à Romulo institutos ejusmodi equites legionarios qui equo publico donabantur, eoque merebant legionibus adjuncti & inserti. Verisimile est à Servio eos institutos legionarios equites cum constet primum illum ex Regibus non solum pedites sed etiam equites ex censu legisse, qui mos duravit usque ad Marium. Is ergo Servius equites elegit ex illis qui maximum cen-

sum haberent, quique generis essent illustrioris quos in octodecim centurias distribuit, eosque adjunxit primis octoginta legionariorum centuriis, Σωείπαξε ᾗ, inquit Dionysius, εἰς ὁλίω καὶ δεκαλοχὰς ἢ προσωένειεν αὐτὰς τοῖς πρώτοις τῷ Φαλαγγιῶν ὁ γδοήκοντα λοχοῖς. Ex his primæ classis octoginta peditum centuriis sumebantur *Triarii* in legionibus conscribendis, quibus equites adtributos dicit Dionysius, nobiliores utpote civium opulentioreſque, dignioribus peditum & ditioribus. Cum igitur legioni attributus est certus numerus equitum non alii corpori peditum legionis videntur adnexi quam *Triariorum*, quia Dionysius tradit, equitum centurias adjunctas fuisse octoginta primæ classis centuriis. Ita enim par fuit, ut conjungerentur in bello & pace qui junctiores fuere facultatibus & censu. Livius eo loco ubi tractat de censu peditum equitumque non octodecim equitum centurias à Servio illo rege factas dicit, sed duodecim eum scripsisse, itemque sex alias centurias adjecisse tribus à Romulo institutis sub iisdem quibus inauguratæ fuerant nominibus. *Ita pedestri*, inquit, *exercitu ornato distributoque, equitum ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias, sex item alias centurias tribus à Romulo institutis, sub iisdem quibus inaugurata erant nominibus fecit.* Quæ non satis recte mihi procedere videntur. Age esto, tres centurias equitum fecerit Romulus: sex centurias ad eas tres adjunxerit de novo Servius. Jam sunt novem. Ait autem duodecim centurias à Servio ipso institutas. Sic non octodecim in totum essent centuriæ, sed una & viginti. Adde quod tres illæ centuriæ Romuli alterius generis fuere. Memorat Livius lib. 1. Tulium Hostilium post Albam dirutam, equitum decem turmas ex Albanis legisse. Hæ tres centuriæ sunt. Idem paulo post perhibet Tarquinum Priscum cum equitem suis viribus deesse existimaret, ad Ramnenses, Tatienses, Luceres quas centurias Romulus scripserat, addere alias constituuisse, suoque insignes relinquere nomine. Prohibitum id facere à Nævio augure simpliciter dicit Dionysius, apud quem non legimus Tarquinium ullas novas centurias addidisse ad tres priores Romuli. Ait enim de Tarquinio, ὅπ τῷ περὶ πῶς φυλακὰς ἐγχαρημάτων ἀπέση, ab augendis Tribubus equitum abstintisse per Nævium augurem. At Livius id solum tradit ne faceret absterritum, ut suo nomine novas additas insigni-

insigniret, cæterum tantum alterum adjecisse numero. *Neg, tum,* inquit, *Tarquinius, de equitum centuriis quicquam mutavit, numero tantum alterum adjecit, ut mille & trecenti equites in tribus centuriis essent.* Quomodo in tribus centuriis mille & trecenti equites esse potuerint non video. Tres instituerat Romulus, trecentorum nimirum equitum, tres alias addere cogitarat Tarquinius novis nominibus. Hoc ne faceret intercessit Nævius Augur, ad monito rege id inaugurato fecisse Romulum, hoc est tres illas equitum centurias scripsisse. Non igitur institutum illud mutari neque novum constitui posse, nisi aves addixissent. Non addixere. Quid igitur novi fecit Tarquinius? Retinuit eadem nomina centuriarum, sed alterum tantum numero adjecit. Ergo sexcentos equites pro trecentis Romuli instituit. At hic ponit mille ac trecentos in tribus illis centuriis fuisse. Saltem legeretur, *mille & ducenti.* Non enim mille ac trecenti possunt rotundum numerum efficere in tres illas centurias distributi. Ita ergo unaquæq; centuria à Romulo instituta ducentorum equitum fuerit. Tres in unum junctæ sexcentos equites dederint. Quibus alterum tantum numero cum adjecisset Tarquinius, facti mille ac ducenti equites. Hoc firmaret eorum sententiam qui scripsere Sabinis in urbem receptis duplicata urbe legionum quoque numerum à Romulo duplicatum tam in equitibus quam in peditibus. Sic enim Plutarchus in vita Romuli memorat: *διπλασιασθείσης ἡ πόλεως, αἱ λεγεῶνες ἐγένοντο πεζῶν μὲν ἑξακισχίλιων, ἵππείων ἑξακισίων.* *Civitate legiones facta sunt peditum senum milium, equitum sexcentorum.* Sed cum falsum sit de peditum numero, æque falsum de equitum. Nam ætate Polybii numerus peditum in legione quaternum milium legitimus habitus est, equitum autem trecentorum. Mirifice igitur hæc conturbant auctores. Equites in totum trecentos sibi administratos futuros & protectores tam in pace quam in bello instituit Romulus, non legioni trecentos equites attribuit. Eum numerum equitum auxisse dicitur Tullus Hostilius Alba diruta, & ex Albanis tres centurias legisse. Ita sexcenti facti sunt, in sex centuriis. Quomodo igitur potest stare quod tradunt Livius ac Dionysius agitalle Tarquinium de aliis centuriis addendis ad tres Romuleas? Jam numerum earum duplicaverat Tullus Hostilius lectis ex Albanis tribus novis cen-

centuriis. Falsum igitur etiam illud erit quod narrat Livius Tarquinium Priscum retento centuriarum numero trium, qui à Romulo institutus est, numerum tantum auxisse altero tanto, & mille ducentos equites scripsisse in tribus centuriis pro sexcentis. Sexcenti ergo, ut ex his colligitur, à Romulo facti sunt equites. Ponamus sic esse. Non tamen, ut vult Plutarchus, legionibus adscripti sexcenti à Romulo equites fuere, tametsi demus sexcentos ab eo in tribus centuriis factos equites. Addit ibidem: *Postiores modo sub iisdem nominibus, qui additi erant appellati sunt, quas nunc quia geminatae sunt, sex centurias vocant.* Quomodo hæc congruere poterunt & convenire cum his quæ de Servio dixit, præter duodecim ab ipso factas centurias, sex item alias tribus ab Romuli institutis sub iisdem nominibus fecisse. Ecce tres Romuli centuriæ à Tarquinio Prisco retentæ, numero tantum earum duplicato, ut in tribus illis centuriis mille ac ducenti equites essent. Post Tarquinium nemo regum quidquam addidisse legitur præter Servium qui sex alias ad illas tres Romuli traditur adjecisse sub iisdem nominibus, quibus inauguratæ fuerant. Ergo sex illæ centuriæ à Servio adjectæ cum tribus à Romulo institutis novem efficiunt centurias. Ipse autem Servius duodecim, ut idem Livius ait instituit. Sic una & viginti exissent. At octodecim in totum à Servio equitum centurias factas testatur Dionysius. Livius non plures numerat, si ad duodecim quas dicit à Servio scriptas, sex illas ab eodem sub iisdem nominibus quibus à Romulo inauguratæ sunt, factas adjunxeris.

• An sex illas sub iisdem à Servio nominibus factas quibus à Romulo inauguratæ fuerint, ita interpretabimur ut etiam tres Romuli comprehensas intelligamus? Ita sane videtur. Atque hoc ipsum innuit Livius in Tarquinio: *Postiores modo sub iisdem nominibus qui additi erant appellati sunt, quas nunc quia geminatae sunt, sex centurias vocant.* A quo geminatae sunt? Nempe à Servio ut hic dicit. Tarquinius eas non geminaverat prohibitus id facere à Nævio Augure, sed numerum earum duplicaverat. Aurelius Victor in Tarquinio Prisco: *Equitum centurias numero duplicavit, nomina mutare non potuit, Ancii Nævii auctoritate deterritus qui fidem artis suæ novacula & cote firmavit.* Servius geminas eas fecit, sub iisdem tamen nominibus, quæ sex centuriæ ideo

ideo appellatæ sunt, cum tres tantum vocarentur sub Tarquinio. Præter has, alias duodecim novas instituit idem Servius. Sic octodecim factæ. Quem numerum equitum effecerint illæ octodecim centuriæ Servianæ vix dici ad liquidum potest. Tres à Romulo primum institutæ fuere veræ justæque centuriæ ex centenim nimirum equitibus. Nam in denas turmas trecentos illos equites divisos ab eo fuisse inter auctores constat. Turmæ autem singulæ triginta equitum. Tres centuriæ ex Albanis à Tullo Hostilio additæ. Sic sexcenti equites facti. Totus equestris ordo his tum sexcentis equitibus constabat. Eum duplicavit Tarquinius Priscus & mille ducentos equites in tribus centuriis numerandos, si Livio credimus, statuit. Geminavit has centurias tres Servius, ut idem Livius auctor est. Ergo duo millia & quadringenti equites ex illis sex centuriis exierunt. Si pro proportionem totidem fuerunt in aliis duodecim centuriis, ab ipso scriptis, septem millia cum ducentis equitum habuerit illo tempore equester ordo sub Servio, cum ad quinque tantum millia equitum suo ævo numeret Dionysius quibus equus publicus esset, id est circa Augusti ætatem. Sed plures eo tempore oportet fuisse quibus equus publicus erat, cum in singulis legionibus trecenti fuerint equites legionarii. Viginti autem & quinque legiones sub Augusto fuerunt, quibus singulis cum trecenti attributi fuerint equites sui id est legionarii, septem inde millia equitum legionariorum cum quingentis extitisse oportet. Non dixit autem Dionysius, ut videtur sentire vir doctus in libro de Militia Romana, non plus quinque millibus equitum constituisse illo sæculo ordinem equestrem, sed in transvectione aliquando vel usque ad quinque millia equitum qui equum publicum haberent in pompa solitos transvehi. Non omnes enim qui equo publico merebant illa transvectio ostendebat, sed eos tantum qui eo tempore Romæ reperiebantur, aut qui jam ut plurimum omnia equestria stipendia fecerant. Nam in illa transvectione gessisse eos scribit omnia præmia virtutis quæ à ducibus suis variis præliis acceperint. Eum vide lib. vi. Qui in legionibus erant, & qui tum militabant, non poterant cum reliquis in ea transvectione & probatione recenseri. Quæ enim secunda fiebat, ipso die probationis equitum celebrari solebat, id est Idibus Juliis. Quæ

G g

ad

ad hoc fiebat ut ab his exquireretur an stipendia equestria impleissent. Et de ea loquitur Dionysius supra citato loco, quæ fiebat idibus Quintilibus, id est Juliis. Ita enim transeuntes ante se censor alloquebatur, Quæro ex te, nomine appellato, an militiæ munera quoties leges jubent, obieris, aut stipendia impleveris. In qua recensione & probatione narrat Dionysius ἐστὶν ὅτι καὶ πεντακισχίλις transvehi solitos, non autem dicit equestrem ordinem illo ævo tot capitum fuisse. Ut ut sit certe magnopere hallucinati sunt viri docti qui putarunt Romulum instituisse ut trecenti equites in legione essent cum trecentos *Celeres*, ita tunc nominabantur equites, ad custodiam corporis sui elegit. Si præter illos *Celeres* alios etiam equites instituit, ut Livius innuit, à tribus Tribubus prædictis illi centuriati fuerunt. De quo in sequenti capite dicemus. Totus certe tunc equestris ordo in his trecentis constabat. Adauxit hunc numerum Tullus Hostilius lectis Albanis equitibus & adjectis ex his tribus centuriis. Tarquinius Priscus, non solum senatum amplificasse, sed etiam *equestrem ordinem uberiorem reliquisse* ait Valerius Maximus lib. III. cap. IV. Livius usque ad millia equitum ac ducentos numerum equitum, id est equestrem ordinem, eum provexisse scribit. Non dicit quot ex his singulis legionibus adscripti fuerint. Servius demum ad octodecim centurias eos produxit numerumque eorum valde amplificavit, & ex censu legit. Ab eo igitur primum etiam institutum arbitror quot equites singulis legionibus essent adscribendi. Ducentos eos fuisse clare dicit Polybius, qui postea ad trecentos perducti sunt. Ita enim lib. III. Ῥωμαῖοι καθάπερ καὶ πρότερον εἰρήκαμιν αἰεῖποτε τέτταρα στρατόπεδα περὶ χερσῶσι, τὸ δὲ στρατόπεδον πεζὺς μὲν λαμβάνει πρὸς πεντακισχίλις, ἱππεῖς δὲ διαχθονίαις, ἐπὶ δὲ τῆς ὁλοχρεστέρας προφαίνῃ χρεῖα, τὰς μὲν πεζὺς ἐν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ ποιεῖσι πρὸς πεντακισχίλις, τὰς δὲ ἱππεῖς τριαχθονίαις. Quod enim idem lib. I. scribit, singulas legiones habere ἀνὰ πεντακισχίλις πεζὺς, ἱππεῖς δὲ τριαχθονίαις, ad quaternaria milia peditum, equites autem trecentos, ad sui temporis morem respicit quò hunc numerum equitum legionibus singulis adscribi & attribui solitum diserte hîc narrat in hæc verba: Μετὰ ταῦτα τὰς ἱππεῖς τὸ μὲν παλαιὸν εἰώθεσαν δοκιμάζειν ὅτι πεζὺς πεντακισχίλοις διαχθονίαις, πρὸς δὲ προτέροις παλαιοῖς αὐτῶν γεγνημένης ὑπὸ τῷ πηληγάδῳ ἐκλογῆς, καὶ ποιεῖσι τριαχθονίαις εἰς ἑκάστην στρατόπεδον.

CAP. XXI.

Locus Polybii explicatus de diverso equitum numero in antiquiore & sui temporis legione, & de ratione eligendi equitis in utraque re militari diversa.

IN superius citatis Polybii verbis manifesta ab auctore ponitur differentia inter rem antiquam militarem eamque quæ ejus tempore usurpabatur, non solum quantum ad numerum attinet equitum qui legionibus singulis adscribebantur, sed etiam in ratione deligendi, & ordine dilectus. Opponit primum antiquum deligendi ordinem novo, qui tunc temporis in usu erat. Quod nimirum antiquitus equites legionis, ὕστεροι legi solerent, id est post pedites, suo autem tempore πρότεροι legerentur, id est ante dilectum peditum. Deinde rationem ipsam eligendi diversam utriusque militiæ comparat, cum olim probari solerent, utitur enim verbo δοκιμάζειν, suo autem tempore ex censu soliti essent eligi. Consideranda enim hæc verba quibus rem plane differentem moremque in deligendo disparem signare voluit, δοκιμάζειν & ἐκλογὴν πλεονδύειν. Deinde discrimen etiam è numero notavit quod antiquo tempore Διακόσιοι ὅπλι τετρακισχίλοις πεζοῖς scriberentur, ducenti equites in quatermilia peditum, quo numero constabat legio, sua vero ætate, fierent τριακόσιοι, trecenti, in singulas legiones. Sed præcipue animadvertenda est differentia quam in modo dilectus posuit. Non enim qualis ea fuerit ex versione Latina summi in his litteris viri deprehendas quæ sic habet: *Mox equites olim quidem posteriore loco moris erat deligere, & quaternis peditum millibus adjungere ducentos. Nunc priore loco eos centuriant, è censu jam ante per censores electos, atque illorum trecentos unicuique legioni assignant.* Si tunc, ætate nempe Polybii, è censu eligebantur, an non etiam moris idem olim fuit? Certe vel à temporibus Servii regis qui primus ex censu peditum equitumque legendorum morem instituit, ea consuetudo deligendi equites servata est apud Romanos. Præterea quod vir doctissimus vertit in posteriore hoc dilectu, centuriatos è censu equites jam ante per censorem electos, magis convenire videtur priori

instituto legendi equitis quo δοκιμάζειν eos dixit Polybius. Ac isto genere posteriore scribit, à cenfore simpliciter lectos fuisse *παλινδω*, id est pro habitu pecuniarum. Ita igitur interpretanda sunt Polybii verba. Olim post peditum dilectum equites legabantur, quia facilis admodum fuit eorum tunc electio. Ex numero quippe eorum qui jam in equestri ordine erant recensiti pro copia census, eos probatos deligebant qui equo mererent & legionibus assignarentur. Ideo utitur in hoc genere dilectus verbo *δοκιμάζειν*, quia spectatæ virtutis ac probatæ vitæ ex equestri ordine & ex omni equitum numero eos eligebant qui æra equestria facerent, & equo publico mererent, & legionibus adscriberentur. Certum olim fuisse equestris ordinis numerum in octodecim centurias ex censu descriptorum in superioribus docuimus. Ex eo numero certi deligebantur postquam pedites legionarii lecti fuerant, qui equites legionarii essent. Ideo ultimo loco legi solebant quia nullo negotio ex ea multitudine cui census equestris erat, magis idoneos deligebant quibus equos publicos assignarent & militares. Posteriore more quem sua ætate observatum docet Polybius, aliter dilectus equitum fiebat. Ex plebe enim ipsa eos censor eligebat qui censum haberent equestrem, ut equites fierent & equi publici iis assignarentur, atque in legione militarent. Hæc consuetudo videtur inducæ primum & instituta secundi belli Punici tempore. Exhausto quippe frequentibus adversis præliis equestri ordine, in dilectu eorum faciendo, cum equites scriberentur legionarii ex civibus legabantur qui censum habere possent equestrem. Et quia operosior hæc erat electio ideo antequam pedites conscriberentur, equitum hujusmodi ex censu scribendorum electioni vacabat censor. Romæ semper fuere qui licet senatorium censum haberent, in equestri tamen ordine manere præoptarunt. Ita etiam multos in plebe mansisse probabile est, quamvis eas possiderent facultates quæ censum equite dignum facerent. At cum equites eo modo quem dixi legebantur è populo, quicumque censum habere equestrem deprehensi fuerant, nomen militiæ equestri dare cogeantur & equum publicum accipere. Quod in antiquiore dilectus ratione non fuit factitatum. Nam equites legionarii ex solo equitum corpore quibus equester census erat deligebantur.

Non

Non aliter liceat verba Polybii exponere. Ex equestri porro ordine sumi olim solitos quibus equi publici ad militandum assignarentur discimus ex iis quæ Livius dicit lib. v. post cladem ad Vejos acceptam, mœsta civitate & in desperationem rerum suarum adducta, *repente quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, consilio prius inter se habito senatum adeunt, factaque dicendi potestate equis se suis stipendia facturos pollicentur.* Ex his enim constat, multos è plebe tum fuisse qui cum censum haberent equestrem, in suo tamen ordine manere malent, quam ad equestrem promoveri. Illud etiam inde certo certius colligitur, non aliis eo tempore equum publicum assignari solitum, ut in legionibus militarent, quam qui ex corpore, numero & ordine equitum forent. Immo non alios tum fuisse in equestri ordine quam quibus equus publicus esset assignatus, ex quorum corpore legionarii equites eligi tum solum soliti erant. Nam in ipso ordine equestri ex censu instituendo ac describendo Servius statim iis quos in ordinem equestrem centuriavit, ad equos emendos dena millia æris ex publico curavit danda, & *bina quibus equos alerent vidua attributa qua bina millia æris in singulos annos penderent.* Ita enim Livius scribit lib. i. Ergo non alii tunc conscripti in ordine equestri nisi quibus & census equestris esset, & quibus equus publicus assignatus foret. Si qui censum haberent equestrem qui nondum cooptrati essent & lecti in eum ordinem, nec equum ex publico habebant, nec alabant. Tum iis equi assignabantur publici, cum in equestrem ordinem adlegebantur. Et clare hoc etiam Plinius docet lib. xxxiii. cap. ii. militares equos olim solos secrevisse ordinem equestrem à plebe, quod discrimen postea annuli aurei fecerunt. *Sed annuli, inquit, plane medium ordinem tertiumque plebi & patribus inseruere. Quod antea militares equi nomen dederunt hoc nunc pecunia indices tribuunt.* Hoc enim vult omnes tunc quibus census equester erat pro equitibus se gessisse, & in eum ordinem fuisse electos ex solo censu, cuius insigne fuit annulus aureus. Et fiebant tunc ergo equites annulo aureo accepto, ut olim equo publico dato solebant fieri. Ætate Polybii qui ad bellum & legiones legebantur equites, ex censu solo legi à censore consueverant, & jam tum annuli discebant equestrem or-

dines à plebe, ut ex modio annulorum colligere est, quos Hannibal cælorum equitum Romanorum digitis detraxisse dicitur. Olim igitur nullus eques fuit, aut equestris ordinis pars nisi cui equus esset publicus assignatus. Ex eo numero legebantur qui legionibus adscriberentur legionarii equites. Postea ex plebeis ipsis lecti sunt qui censum equestrem haberent, aut ex equestri etiam ordine eorum quibus assignatus nondum erat equus publicus, sed solo annulo aureo se ejus ordinis esse demonstrarent. Et sic etiam potest exponi Polybius ubi de posteriore more legendi equites in legiones ait, *πλεῖν δὲ αὐτῶν γὰρ ἡμεῖς ἐκ τῆς πηγῆς τῆς ἐκλογῆς*. Quem censor legebat in equestrem ordinem non in eo considerabat nisi equestrem censum, qui designabatur annuli aurei gestamine. Cum vero ex eo ordine ad legionem equites legebantur, solebant equo publico donari. Non omnes igitur eo tempore qui equestris ordinis erant, etiam equo publico merebant, sed illi soli qui legionarii equites fuerant facti. Imperatores sæpe etiam equo donabant milites quorum virtutes hoc præmio remunerati volebant. Hinc in veteribus Inscriptionibus tam frequens mentio *equo publico donatorum, ornatorum, honoratorum ab imperatore*. Quod ad equum rescribere pedites dixit Cæsar lib. i. de bello Gallico: *Plus quam pollicitus esset Cæsarem facere, pollicitum in cohortis pratoria loco decimam legionem habiturum, ad equum rescribere*, id est equo honorare, equites ex pedite facere, ad equitem rescribere. Nam *equus publicus* sæpe occurrit in veteribus monumentis pro eo ipso qui equo publico meret. Ut in veteri Inscriptione: *Iudici decuria quinta, equo publico per Traianum, Duumviro municipii Consaburonensium*. In aliis multis Inscriptionibus id occurrit, ut quis *equus publicus* dicatur qui equo publico donatus est. *Equus publicus*, mira sed tamen Romanis solita loquutione pro equite qui equum habet publicum. Sic *ordo* pro ordinis ductore. Unde *primi ordines & principes ordines*, pro principalibus & primis ordinum ductoribus. Sic *armatura* pro armato, ut levis armatura. *Cura* pro curatore, & similia. Puto tamen honoris potius ac sæpius fuisse tunc equum publicum, quam muneris. Plerisque sane honoris tantum gratia dabatur, ut consularia ornamenta. Ubicunque igitur legimus aliquem equo publico honoratum aut ornatum fuisse, non de eo qui equo publi-



publico mereret & equestria stipendia re ipsa faceret, sed de illo cui honos hic habitus esset ab Imperatore intelligendum est. Hinc in Historia Augusta Julii Capitolini habemus, Hadrianum Marco *sexenni honorem equi publici detulisse*. Sed hæc ut accuratius hic tractemus propositi nostri res non est. Ex eo autem facto quo post cladem Vejensem obtulere se voluntarii equites ad operam reipublicæ navandam, equis primum eos merere cœpisse tradit Livius. Quod an verum sit, inspiciamus. Quibus census erat equester, licet nondum in ordinem equestrem adlecti fuissent equo publico assignato, hi operam suam obtulere senatui, polliciti equis se suis stipendia facturos. Hoc magnum, quod cum cogi non possent equo merere, & inter equites legionarios militare, utpote qui ex equestri ordine non essent, se suis equis stipendia facturos promiserunt. Nam ex instituto Servii qui ex equestri ordine centuriati fuerant, non suis sed publicis equis militabant. Pecunias enim ex publico accipiebant ad equos emendos. Dena milia æris ad equum emendum unicuique equiti debantur. Hoc pretium igitur equi tunc temporis. Mille assium facit Varro, sive assarium, lib. VII. de L. L. *Et non equum publicum mille assarium esse, sed mille assariorum. Ab uno enim assario multi assarii, ab eo assariorum*. Nulla mendis suspicio potest in hunc locum cadere. Ergo in Livio erit corrigendum, *una millia æris*, pro singulis milibus æris. Qui loquutionem eam non capiebant, correxere, *dena millia*. Sic *una mænia* apud Sallustium, in *una mænia convenire*. Verum ista alii examinent, an diversa dixerint Varro & Livius. Non solum igitur equites legionarii ex institutione Servii ad equum emendum è publico pecuniam accipiebant, sed etiam ad alendum. Bina millia æris ad hoc accepisse & viduas eis divites attributas quæ eam summam annuam penderent, ipse Livius scribit. Equis igitur jam tum merebant equites cum æra acciperent ad equos alendos. Quid plus tunc præstitum, clade ad Vejos accepta, cum voluntarii equites operam suam gratuitam obtulissent Reipublicæ? *Placere autem omnibus his voluntariam extra ordinem professis militiam æra procedere, & equiti certum numerum æris assignatum, tum primum equis merere equites cœperunt*. Hoc falsum si vera sunt quæ de Servio scripsit, cujus instituto bina millia æris equiti data sunt ad alendos equos,

&

& dena millia ad emendos. Quid est merere? pecuniam quasi mercedem operę in militia navanda accipere. Tum ergo merebant equi equites ex instituto Servii cum pecuniam ę publico ad equos alendos accipiebant. Videamus an plus postea acceperint quam illa bina millia ęris ą Servio ipsis attributa. Immo hæc summa mansit ad æra equestria usq; ad Catonem censorium post bellum Punicum secundum. Orationem ille habuit, qua suasit ut plura æra equestria fierent. Ex ea oratione hæc producit Charisius: *Nunc ego arbitror oportere institui ne quo minus duobus millibus ducentis sit ærum equestrium*. Sic enim cum viro doctissimo locum illum legendum censeo. Ante id tempus æra equestria duum millium fuere. Ducentos asses adjiciendos esse ad stipendium suasit tum Cato. Vetus summa in ejusdem Catonis verbis ibidem sic expressa legitur: *de aribus equestribus, de duobus millibus actum est*. Ergo bina millia ęris meruerunt quotannis pro stipendio sive equites usque ad ætatem Catonis, ut ex illa ejus oratione constat, ą temporibus Servii regis qui instituit ut bina millia ęris acciperent ex publico ad equos alendos, viduęque iis attributę quę eam summam penderent. Non placet autem quod viro docto placuit, in verbis Catonis ea æra equestria quę plura ille fieri volebat, ad numerum ipsum referri equitum, ut suaserit tot æra institui totidemque capita quę haberent. Non enim persuadebit ut non plus duobus milibus equitum in equestri ordine tum fuerit, quos constat longe plures fuisse Servii ipsius ætate ut ante docuimus. Certum quidem est diu in Romana republica milites suo sumptu militasse, merere enim tum cępisse peditem post Anxur oppidum captum anno urbis CCCXLIII. scribit idem Livius. Triennio post de equitibus idem dicit in obsidione Videntum. Sed jam ostendimus ą Servii temporibus ex ejus instituto equites merere cępisse. Nisi quis dicat non æra ex ærario tunc eos accepisse quod postea factum, sed viduas iis attributas quę summam eam iis penderent. Sed hic non tractamus de stipendio militum, quod in alio opere exequemur. Nunc id agimus, ut doceamus equitum numerum alium fuisse antiquissimo sæculo in legione Romana, alium posterioribus Reipublicę temporibus, alium postremo mutata in Monarchiam regiminis forma, sub Cęsaribus. Primo igitur ut ex Polybio & Livio monstra-

stravimus, antiquior militia numero Equitum differebat ab ea quæ Polybiano ævo obtinebat, ita quidem ut legioni adjecti fuerint super priorem ducentorum numerum, centum equites alii, & in universum trecenti essent: Deinde rationem seligendi in utraque militia diversam fuisse etiam ex superioribus cum abunde constet, finem nunc imponemus huic tractationi.

E I N I S.



THE
JOURNAL
OF THE
ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE
OF GREAT BRITAIN AND IRELAND
VOLUME 31. PART 1. 1901.

THE
JOURNAL
OF THE
ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE
OF GREAT BRITAIN AND IRELAND
VOLUME 31. PART 1. 1901.

